MANTISSA

ſiue

CONTRA BZOVIVM

Pars Tertia

IN QVA PER OMNES

EVROPÆ PROVINCIAS

SPECIMEN EXHIBETVR BZO-
VIANÆ IN HISTORIA
eruditionis.

MONACHII
Apud Nicolaum Henricum.
cIɔ. Iɔc. xix.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAXIMILIANO COMITI PALATINO RHENI VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI, &c.

Domino meo clementiſſimo.

ACTIONE in Bzouiū, qua Famam Ludouici Cæſaris aſſerui, ad finem ducta, è conſilio fuit, hanc quoq; Mantiſſam, velut prioris operis laciniam adijcere, duplici de cauſa: Prima eſt, ne fortaſſe quid ſuſpicionis lectori obrepe-

ret, ac ſi nimius fuiſſem in Ludouici nominè defendendo, & plus tribuiſſem affectui, quàm æquitati rei. Ab hac ſanè noxâ liber ſum, nec placet eâ me maculare notâ, quam probroſam Bzouio obieci. Debeo quidem. Sereniſsime Princeps, me, meos & mea Serenitati Veſtræ omnia; veritati tamen & iuſtitiæ plus debere me profiteor; neque vllam operam do, vt ſine his Veſtræ Serenitati ſeruitutem ſeruiam. Sed neque Serenitas Veſtra, neque res poſtulat adulandi ingenium: hoc ſi & Bzouio diſplicuiſſet, longè plura ille omiſiſſet, longè plura ego non dicerem. Ergò hæc Mantiſſa in Europæ theatrum prodit, teſtimonium publicè dictura,

me

Digitized by Google

me de Ludouico haud vana ſcripſiſ-
ſe, eò quòd Bzouius non in Bauaria
ſolùm boni hiſtorici partes oblitus
ſit; ſed quod eaſdem etiam in alijs ter-
rarum plagis, aut non ſuſceperit, aut
depoſuerit. Scripſit Bzouius præter
duos annalium Tomos, quos Baro-
nianæ purpurę tanquam laceros cen-
tones aſſuit, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ
partes tres, in quibus videri vult res
geſtas compendio perſequi; cõpen-
dio facit, non ego, omittit enim ſub-
inde vera. Has ego partes cõniuente
tantum oculo decurri, pauculaque
delegi, quæ lectori in guſtum exhibe-
rem, iudicumque de tota Bzouiana
Hiſtoria prolicerem. Oſtendo certè
Bzouium nuſquam terrarum domi

 eſſe,

eſſe, ne in ſua patria quidem Polonia. Si cauſa poſtulaſſet, ſi ocium permiſiſſet, ſi longior rixa arriſiſſet, tota opera Bzouiana deartuaſſem; ſed tot impleſſem volumina, quot ille purganda publico expoſuit. Verùm aliæ manus ipſius capillos impectent; ſufficiat mihi ipſos vellicaſſe.

Altera Mantiſſæ cauſa eſt Catholicorum exiſtimatio & conſtans recti fama, quæ tot iam ſæculis illibata infenſas inter hæreſes perdurat. Nos Catholici, ſi qui Catholici à veri via abeunt, libera voce clamamus, monemus, atque etiam reprehendimus, vt ſuus veritati ſit locus; & ne illi reprehendant, quibus reſpondere non poſſemus, niſi reprehenderemus.

Qua-

Digitized by Google

Quare mihi Bzouius veniam dabit, ſi calamum meum paulo acriorem ſenſerit; eodem quo ipſe atramento ſuũ, tinxi meum; nec res ſcriptæ tangi poterant, niſi & ſcriptor tangeretur. Homini amicus ſum: dicta eius inſector, quæ ſi meliora forent, eſſem & ego. Credibile eſt & illos commotos, in quos Bzouius ſua tela iecit; imo ſentiunt illi amplius, quia altiores habent ſenſus. Sed ego nihil porrò refrico: à Bzouio potius poſco, vt ſub incudem hiſtorias ſuas reuocet: quò plura exciderit, eò pauciora deinceps culpabuntur.

Serenitati V.ª

Subiectiſſimus

Io. Georgivs Hervvartus.

Digitized by Google

Digitized by Google

SYLLABVS ERRORVM IN ITALIA COMMISSORVM.

CAPVT I.

PRincipem locum obtineat Italia vetus Imperij religionísq; domicilium, in quo certè Bzouius hoſpes eſt gemino ſignificatu: paucula duntaxat delibabo, ex quibus luce clarius erit eum aut parũ cepiſſe, aut multa oblitum.

§. 1. Tom. 1. hiſt. Eccl. lib. 5. anno Chriſti 420. N. XIV. huncin modum ſcribit, *Per id temporis Palladius Epiſcopus à Cæleſtino Pont. Max. ad Scotos in Chriſtum credentes miſſus fuit, vt Pelagianam hæreſin, quæ iam Britanniæ magnam partem infecerat, à Scotorum gente arceret, populúmq; ad verã pietatem, à qua continua bellorum atrocitate paulum aberrauerat, ritè reduceret.* Hactenus Bzouius, quę ſi vera vult, conciliet mihi cum ijs, quę eodem lib. anno Chriſti 423. N. 3. & 4. refert, vbi ait, *Mortuus eſt eodem anno, Oct. Kal. Nou. Bonifacius Papa.* Et paulò pòſt, *Bonifacio ſucceſſit Cæleſtinus, patria Romanus ex patre Priſco, ſine vlla plebis diſciſſione electus.*

§. 2. Ex his duo corollaria deduco, Primum

eſt, Cæleſtinum fuiſſe Pontificem cum Bonifacio Pontifice, atque adeo vno tempore ſimul duos preſediſſe Papas Eccleſiæ. Ratio eſt quod an. 420. fuerit Pontifex adhuc *B*onifacius, quia triennio poſt demum obiit: deinde Cæleſtinus Pontifex Max. eodem anno Palladium ad Scotos miſit, ergo fuit Pontifex cum alio Pontifice.

§. 3. Deduco deinde, Cæleſtinum fuiſſe Pontificem antequam Pontifex eſſet; nam Cæleſtinus in Pontificatu Bonifacio ſucceſſit anno 423. qui Oct. Kal. Nou. obierat, atque ita creatus eſt tandem Pontifex hoc anno, & tamen ante biennium fuit Pontifex Max. ac Palladium Epiſcopum ad Scotos miſit. Hoc ſi mihi volumen Bzouius explicauerit, dicam eum Herculem.

§. 4. Palladium Epiſcopum à Cæleſtino ad Scotos miſſum ait anno 420. in quo bis errat. nam Palladius nec Epiſcopus ſed Diaconus, nec anno 420. ſed 429. primùm ad Scotos miſſus eſt, vt non modò *B*aronius ex Proſpero, ſed etiam *B*zouius docet, cum eodem anno 429. N. 2. hæc inter cætera refert, *Cæterum Cæleſtinus fecit etiam barbaram Chriſtianam, dum miſſo Palladio S. R. Eccleſiæ Diacono Scotos & Hybernos fide Chriſti illuſtrauit.*

§. 5. Anno poſtea 431. eundem Palladium iam Epiſcopum ad Scotos miſit idem Cæleſtinus,

vt ex

vt ex Proſpero docet Baronius. quod Bzouius omi- *Pag. 605.*
ſit, & tamen compendium Baronij promiſit.

§. 6. Anno 429. ſcribit Bzouius, *Eodem ferè* *N. XV.*
tempore miſſus eſt & Patricius ſanctiſſimus Epiſcopus à Cœleſtino: qui Hyberniam iam dudum veram colentem pietatem, à Pelagiana impietate ſacris monitis & exemplis tueretur. Atqui Patricium non ante annum 431. in Hiberniam, quæ etiam Scotiæ nomine dicebatur, miſſum fuiſſe, non modo Sigebertus & Baronius, ſed etiam Bzouius eodem anno 431. docet in hunc modum, *Hoc anno pari-* *N. XXIX.*
ter Patricius Scotus, S. Martini ex ſorore nepos ab eodem Clericus ordinatus, à S. Germano Antiſiodorenſi ſacris litteris imbutus, & à Cæleſtino Romano *miſſus,* P*alladio defuncto, Scotis Euangelium annunciauit.*

§. 7. Anno Chriſti 383. N. 1. hæc affert Bzouius, *Maximus Britannus dux exercitus in Britannia tyrannidem arripiens, tranſmiſit exercitum in Gallias, qui & Gratianum per inſidias occidit, & Maximum Imperatorem acclamauit. Is cum Aremoricos ſedibus eieciſſet, atque vberem ſed habitatoribus vacuam Britannis militibus tribuiſſet: quò nouam coloniam in poſteros propagaret, Cannani Britanni Reguli, quem Britannorum ducem habebat in exercitu, conſilio: è Britannia nouis colonis ſingulas virgines ſingulis militibus coniugio fœderandas miſſa legatione ad Cornubiæ in Britannia Regem expetijt. Nihil viſum eſt negari debere nouo Impera-*

tori, quem in Britannia exortum iidem Britanniæ reguli omni ſtudio confouiſſent : cum præſertim non niſi gentilibus ſuis, iiſdemque donatis noua prouincia prædiuitibus, ſuas ipſorum filias matrimonio, honeſtiſſimè coniungendas fore, certum haberent.

Poterat hîc *Bzouius* geminam Baronio, eamque valde opportunam acceſſionem facere, quam ei ſuppeditaſſet vir eruditus Chriſtophor' Brovverus, qui cum eadem fere, quæ hoc loco Bzouius, adduxiſſet, *In hac*, inquit, *oratione, cùm viſa multa mihi alia iure refellenda, tum vel illud ante omnia, quod de Aremoricis promit. Tacebo enim hîc quàm alienum iſtuc à rationibus Maximi ſit excogitatum, tyrannum medio videlicet in procinctu armorum, crudis adhuc & acerbis rebus ſuis irritare fortiſſimos Aremorici populos, & iuuentæ Britanniæ robora, quibus aduerſus Gratianum eiúſque vindices opus vel maxime tum erat, curis illigare vxoriis, contra militiæ Romanæ diſciplinam. Neque dicam, quàm ea ridicula fingatur & intempeſtiua, & priſcis omnium tacita literis Maximi cura poſteritatis propagandæ, & ceu Galliæ Hiſpaniæq; fœminas procreare deſiiſſent, petere eum, adeóque cogere trans mare legionariis ſuis vxores. Quódque cogitationem meam ſuperat, hæc tot vndique à parentum & natalis ſoli complexu auulſa quidem, vt fit, puellarum agmina, in thalamorum & connubii ſpe conſilióue tueri, non martyrii modò decus, ſed & pudicitiæ propoſitum, &* τὸ τῆς σωφροσύνης εἰλικρινές.

In notis ad lib. 3. Venantii Fort. N. VIII. ante m.

§. 8. *Hæc*

Digitized by Google

§. 8. Hæc, inquam, quia in alium fortaſſe locum reſeruo, ſilebo cuncta; illud autem de Maximo tacere non poſſum, nimirum Aremoricos eum ſedibus ſuis expuliſſe, & exhauſta tanquam ſentina regione, in vacuam illico poſſeſſionem milites miſiſſe Britannici generis, qui nomen cum gente nouum item in Gallias afferrent. Age verò putemus tempora, rationes ineamus annalium, litémque vniuerſam conteſtemur, ſiquidem aliter quæſtio hæc explicari non poteſt. Principio quidem Maximum conſtat, quo tempore imperium inuaſit, ſecundis ferme Galliarum animis, leuíque motu, in Belgicam receptum, & Treuiris ſedem locaſſe imperij. Rurſum perinde liquet, claſſe ex Britannia venientem cum exercitu ea parte traieciſſe, quà portus Geſſoriacus obiacet, longè infra Gobæum, vocemus enim iam ita illud Aremorici promontorium. Zoſim. lib. IV. Hæc illi tyrannidis primordia, hæc auſpicia regnandi fuere, quæ ferme ab anno Chriſti CCCLXXXIII. in ann. CCCLXXXVIII. protulit, & Treuiris exegit. Sulpit. Seu. vit. Sanct. Martini. Latin. Pacat. Auſon. Chronic. Euſeb. Gildas. Nullæ produntur interibi cauſæ Aremoricos laceſſendi, nedum finib. extorres prorſus eliminandi. Quin antiquorum documenta literæq; ſuppetunt, & hoc tempore & in poſterum quoq;, Aremoricos ſanè integros intactóſq;, priſtina ſua libertate vixiſſe, quando barbarorum illuuies Gallijs infuſa, perniciem populis eam attulerat fermè cunctis. Nam

cum ceteræ Galliarum prouinciæ iam crebris externorum irruptionibus ſolicitatæ, vnum ferme Ætium reſpicerent, in eiusq; tutelam volentes ſe conferrent, auſi illum repudiare ſunt Aremorici, paruiq; imperiũ ducis pendere calamitoſi. Qua ſui contemptione vſq; adeo exarſiſſe fertur Ætius, vt iam pararet Aremoricum obijcere barbaris, ni S. Germanus aduentum Alemanorum repreßiſſet, &c.

Hæc & plura *B*rovverus, quæ ſi legere *B*aronio contigiſſet, prætuliſſet ea, credo, coniecturis, quibus illam de Maximo narrationem ex fabuloſo alioquin, vt fatetur, auctore Gaufrido petitam comprobari putauit, quando nihil firmius habuit.

§. 9. Anno Chriſti 750. ait Bzouius N. 2. *Per eadem tempora factum fuiſſe legitur Epitaphium S. Richardi Regis Angliæ, ſculptum in ciuitate Lucæ Italiæ, vbi requieſcit. Eſt autem in hac verba.*

Soror Ottonis regis fuit mater Beati Richardi. *Beatus Richardus Rex Angliæ, exul patriæ, ſpretor mundi, contemptor ſui, pater ſanctorum fratrũ* W*illebaldi &* W*inibaldi, & Beatæ* W*alburgis virginis, terrenum regnum in cæleſte mutauit. Depoſuit coronã Regiam pro vita perpetua, exuit purpuram & vilem induit tunicam. Regionum reliquit tribunal, & ſanctorum quæſiuit limina, dimiſit ſceptrum, & accepit baculum, dimiſitque filiam ſuam in regno Beatam* W*alburgam, atque ſimul cum filiis peregre profectus eſt.*

eſt. Et eis relictis apud S. Bonifacium Martyrem glorioſum, tunc Archiepiſcopum Moguntinum virum miræ ſanctitatis, exilio ſe vlteriori ad SS. Apoſtolorum limina trans alpes adiit: & loca deinceps magis deuia petiit ſolitudinem, Deo ſoli idem ſolus liberè vacaturus. Deinde poſt longa exilia, poſt multa certamina: poſt famis, ſitis & frigoris multimodas ærumnas, in prouincia Italiæ, ciuitate Luca, finitur pugna, dantur præmia, cælo recipitur anima, & in B. Frigduani Baſilica iuxta corpus eius ponuntur pia membra: vbi & miraculis coruſcat: cuius feſtiuitas ſeptimo Idus Februarij celebratur.

Satis mirari nequeo, quod Bzouius tam pugnantia ſcribere poſſit. Quid nobis perſuadere contendis hoc anno Epitaphium S. Richardi conditum fuiſſe? ſi ita eſt mi ſcriptor, & hoc Epitaphium B. Richardi factum ſculptúmque eſt anno ſalutis 750. neceſſe eſt iam ante hunc ipſum annum S. Bonifacium fuiſſe Martyrio affectum, cũ in Epitaphio legatur Richardum reliquiſſe filios apud S. Bonifacium glorioſum Martyrem. Fuit igitur hoc anno iam Martyr Bonifacius, alioqui is qui Epitaphium ſcripſit, Martyrem nominare non potuiſſet. Quis enim te Bzoui in viuis agentem Martyrem appellet? Porrò hoc anno 750. Bonifaciũ nondum Martyrio illuſtrem fuiſſe ex te ipſo conuinco, eius enim martyrium rectè ſcribis contigiſſe an. 755. N, 6.

Digitized by Google

Hæc cum ita ſe habeant Bzoui ex tui calami teſtimonio, quomodo ante annos quinque poterat S. Bonifacius, dici aut ſcribi Martyr? Deinde vbi tu audiſti Bzoui in Epitaphiis ſanctos vt ſic dicam canonizari antequam hanc vitam exuant?

§. 10. Anno Chriſti 1072 N. 4. hæc memorat Bzouius, *Hoc ipſo anno, Petrus Damiani ab Alexandro Papa, Legatus Rauennam pro componendis rebus illius Eccleſiæ ab Henrico Archiepiſcopo ſeditioſo & ſchiſmatico turbatis miſſus, cum ea legatione pro dignitate Apoſtolicæ ſedis, & pro pace Eccleſiæ illius defunctus eſſet, reuerſurus ad ſuos Fauentinos in monaſterio Diuæ Dei genitricis defunctus eſt, die feſto cathedræ S. Petri. Ipſe ſibi parauerat Epitaphium, lapidi ſepulchrali inſculpendum, quod ad mundi contemptum Lectorem prouocaret. Ita habet.*

Quod nunc es, fuimus: es quod ſumus ipſe futurus,
His ſit nulla fides, quæ peritura vides.
Friuola ſinceris præcurrunt ſomnia veris,
Succedunt breuibus ſecula temporibus, &c.

Quid videtur tibi Lector? an non hoc anno Bzouius Petro Damiano ſepulcrum fodit, virúmque iam cadauer infodit, imò lugubrem næniam accinuit, ſanctósque manes deplorauit? At ecce tibi poſt octo annos in tumulo exactos ſiſtit rurſus tibi virum viuentem.

§. 11.

Digitized by Google

§. II. Anno Domini 1080. N. 9. *Hoc Anno,* inquit Bzouius, *vixit Petrus Damianus Rauennen. humili loco natus. Js ab ipſis parentibus perſequebatur: nam mater infantem adhuc odio habuiſſe dicitur. Defunctis parẽtibus à fratre & vxore eius peßimè tractatus eſt, ab eis enim adoleſcens nõ ad ludum litterarium, ſed ad ſues paſcendas miſſus eſt: Deus autem, cui præcipuè afflictorum cura eſt, illius miſeratus alterum fratrem ad pietatem mouit, qui cura adoleſcentis ſuſcepta, illum literis & diſciplinis (erat enim optimæ indolis) inſtruendum curauit: in quibus breui eos progreſſus fecit, vt Eccleſiã poſtea, cum diſciplinis vitæ ſanctimoniam coniungens, maximè illuſtrarit. Carnem ſuam cilicio, ieiuniis, diſciplinis, & vigiliis domabat, ita, vt ſi quando ſtimulis illius agitaretur, nocte intempeſta è lecto ſurgens, ſe ſe in aquam immergeret, quoad algore membra rigerent. Cum autem maioris perfectionis deſiderio teneretur, in eremum fontis Auellanum ad Abbatem ſe contulit, & ab eodem habitu indutus, auſteriorem vitam aggreſſus, cum in morbum incidiſſet, eam moderari coactus eſt. In diuinarum ſcripturarum lectione ſic verſatus erat, vt eximius declamator effectus, ab Abbate Pompoſiano totius Eremi curæ præfectus fuerit. Ædificauit Monaſteria eremitica in agro Lamerti, Peruſino, Ariminenſi, & Fauentino. In Monaſterio Accretÿ cum aquam ex vicino fonte ſibi af-*

ferri iuſſiſſet, vinum factam guſtando ſenſit. Quod ab aliis Monachis, cum ex eodem fonte aquam haurire miſiſſent, comprobatum eſt. Cum milites in cellarium ingreſſi, amphoram vini perforaſſent, quum plena erat, non exiuit, exiuit autem poſt eorum diſceſſum, pro pauperum hauſtu. Stephanus IX. cognita eius ſanctitate, Romam accitum, inuitum Cardinalem & Epiſcopum Oſtienſem creauit. Suſcepto onere plurimum pro Eccleſia, maximè in extinguenda Nicolaitarum hæreſi, quæ Romam infecerat, laborauit. Mediolanum miſſus, eam Eccleſiam ad Rom. Pont. obedientiam reduxit. Multa fecit, ſcripſit, & docuit. Senio confectus Rauennam, vt ciuitatem ab Epiſcopo ſuo ſeductam, ad Eccleſiæ Romanæ gremium retraheret, deſtinatus eſt. Quod cum egregiè præſtitiſſet, completa legatione, Romam rediens, Fauentiæ in Monaſterio Dei Genitricis extra muros in morbum incidit, ac breui Spiritum Deo reddidit. Nondum in SS. numerum relatus eſt, illum tamen Fauentia protectorem ſuum veneratur.

Hæc Bzouius, quem ego non refuto, præſtat is ſibi ipſi hoc genus officij, & clementer agit cum Sanctis, nam quos pridem tumulo intulerat, poſtmodum ad vitam reuocat. Aliud verò hoc poſteriore loco Bzouius denarrat, quod religioni mihi ducerem, ſi præter mitterem in gratiam tanti chronologi. Ait igitur hîc Damianum Romam ab Stephano

phano IX. vocatum ad purpureum galerum inuito capiti imponendum. Rectè habet, at Stephanus IX. pontificatum iniit anno 940. vti Bzouius affirmat, deſiítque viuere anno Chriſti 943. eodem Bzouio teſte, vocatus igitur Damianus eſt intra hoc tempus, & demus vltimo Stephani vocatum, anno ſcilicet 943. tunc vſque ad hunc annũ 1080. quo obiiſſe Damianum narrat Bzouius, numerabuntur anni Cardinalatus eius 137. Iam autem ſi addantur illi anni, quibus Damianus vixit, antequam Romam accerſeretur, & Cardinalis crearetur, inueniemus minimum 40. nam Damianus vir maturus erat ante Cardinalatum, vtpote qui totius eremi præfecturam geſſerit, Lamers, vti tu loqueris, Peruſinum, Ariminenſe, & Fauentinum monaſteria ædificârit. Quod ſi & hi quadraginta anni accenſeantur illis 137. efficient 177. atque ita Damianus prope duo ſæcula vixit. Credat Iudæus Apella, ait Iuuenalis. Quia verò Damianum etiam anno 1072. obiiſſe ſcripſit Bzouius, paulò iunior erit Damianus, ſed octo annis tantùm. Ita Bzouius vtrobique errat.

§. 12. Tom. 14. Annal. Anno 1313. N. 16. iſta Bzouius adfert. *Hæc Joannes Cuſpinianus, dicens malum bonum, & bonum malum: eligens magis tenebras quam lucem, & impoſturas putidas, quàm veritatem: cum ei pronum fuerit, id quod res erat, con-*

iicere, Ephemeridarum Henrici ſeptimi ſcriptores vel ab Henrico Flandro monachi impoſtoris fautore mutuaſſe, vel odio gentis Jtalæ hæc finxiſſe, aut conficta, ex ſuſpicione aſſeruiſſe, more palatino eorum, qui calamum venalem atra infamia innocentium ſolent intingere. Id verò tanto facilius Cuſpiniano fuit deprehendere, cum & ſcriptores grauiſſimos, & filium ac fratrem Henrici defuncti, alterum Regem Boëmiæ, alterum Archiepiſcopum Jmperij Electorem, teſtes omni exceptione maiores, aliáque argumenta clariſſima innocentiæ F. Bernardi habuerit, quibus eum à calumnia vindicare potuerat: maximè cum ferebatur non aſſerebatur, venenum hoſtiæ & calici miſcuiſſe: neque tunc temporis, vſum calicis, in vſu fuiſſe. Occupatur Bzouius totus in defendendo ſuo F. Bernardo, à quo fama ferebat Cæſarem Cœnam Domini cænantem veneno appetitum; nec inuideo innocentiæ patrocinium, ſed potius doleo quod tam malum patronum nactus ſit. Rideat lector, ſi lubet. Inter alia pro inſonte argumenta profert Bzouius & iſtud. *Ferebatur venenum hoſtiæ & calici miſcuiſſe:* At quì potuiſſet iſtud? tamen *tunc temporis vſus calicis in vſu non fuit?* Qualis hæc Baliſta Lector? An non aduerſariorum malignorum argumenta in Fratrem Bernardum frangit & diſſipat? Demus tum vſum Calicis non fuiſſe, ergo venenum dari non potuit in ablutione? hodie Laicis

ali-

aliquādo præbetur ablutio, id eſt vinum, quo poſt Chriſti ſanguinē ſumptum calix abluitur & hanc Henrico porrectam fuiſſe docet Rebdorfius pag. 416. v. vlt. cùm ſcribit. *In ablutione calicis per quendam Fratrem Ordinis Prædicatorum (vt narratur) immiſſum eſt venenum in calicem, & ſic intoxicatus* (Henricus ſeptimus) *ſtatim obiit, & in ciuitate Piſana ſepultus eſt.* Sed nondum eſt finis argumentorum bonorum. Eodem anno N. 18. poſt medium ita ratiocinatur magnus Theologus Bzouius. *Si enim ſacram hoſtiam Bernardus illiniuit, quomodo ſacrum calicem aconytho temperauit? maximè quod nullus per id temporis calicis vſus laicis, ſed vnius tantum ſpeciei panis fuit?* Quia varij auctores narrationem præbiti veneni variarunt, mendacij & imposturæ ob id ipſum eos Bzouius coarguit; nam alij in hoſtia, alij in calice hauſtum venenum tradunt, neq; id multum reprehendo, ſed reprehendo inde deductam conſequentiam Bzouianam: ſi ſacram hoſtiam Bernardus illiniuit, quomodo ſacrum calicem aconito temperauit? Quaſi verò vtrumque fieri non potuiſſet? Putas tu Bzoui impoſſibile eſſe, vt ſic dicam, & hoſtiam imbuere & vnà calicem? An omnipotentiam Dei hic exigis? Porrò & hoc valdè validum defenſionis genus eſt: Quomodo in calice ſcelus hoc admiſſum eſt, cum nullus per id temporis calicis vſus fuerit? Hem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bzoui, quo ruis? Vndè tu noſti nullum tum temporis fuiſſe vſum calicis? Atqui ego potius oſtendo eius vſum in multis Eccleſiis fuiſſe; neq; hanc ſententiam ex vano haurio, ſed ex D. Thoma tibi notiſſimo. Is parte 3. q. 80. art. 12. ita ſcribit de vſu ſui æui. *Ideo prouide in quibuſdam Eccleſiis obſeruatur, vt populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolùm à ſacerdote ſumatur*. Hæc D. Thomas, quibus manifeſtè hoc ipſo ſignificat ſanguinem in quibuſdam Eccleſiis dari ſolitum; alioqui dixiſſet in nullis dari. Obiit porro S. Thomas Bzouio auctore anno 1274. N. 19. tom. 13. & poſt eum Henricus ſeptimus annis non omnino quinquaginta. Iam Bzouius inter hos años calicem omnino abrogatum fuiſſe, demonſtrare debuerat. Quod quia non fecit, miſer eius frater Bernardus hoc ſolo nocentior eſt, quod tam malum ſortitus ſit Cauſidicum.

SYLLABVS ERRORVM IN GERMANIA COMMISSORVM.

CAPVT II.

QVia Bzouius Germanis non admodum amicus eſt, ideo fortaſſe rerum in Germania geſtarum negligentior fuit; ita prorſus ſuſpicarer, niſi me

ſi me à cogitatione hac auerteret volans & incurius Bzouij calamus. Omnia ſcribuntur, pauca expenduntur.

§. 1. Anno Chriſti 697. inquit Bzouius N. 1. *S. Clemens Willebrordus in Friſiam reuerſus, à S. Suiberto intellexit, quam multos gentilium ad Chriſti fidem traduxiſſet. Itaque iunctis vterque operis reliquas Germanorum prouincias inter ſe partitas, nihil eorum omiſerunt, quæ ad Chriſtianam Religionem diſſeminandam vel propagandam attinerent, Et quia videbant S. Bonifacium potentem eſſe in ſermone & virtute, illum ſocium laboris eſſe voluerunt.* Et in margine. *SS. Willebrordus, Suibertus, & Bonifacius Euangelium prædicant vnanimiter.*

Itaque hac tempeſtate Bonifacius iam in Germania Chriſtianam ſementem fecit, & ſocius fuit in Apoſtolatu Willibrordi & Suiberti; ſed quam hoc verum ſit ipſe Bzouius neſcit, propterea alibi, nimirum anno Chriſti 719. N. 1. ita ſcribit *S. Bonifacius Anglus hactenus in Monaſterio Adeſcancaſter à puero ſancte inſtitutus flagrans deſiderio conuerſionis infidelium à Daniele Ventæ Epiſcopo literis acceptis Romam venit, atque à Gregorio Pontifice munus Apoſtolatus ſibi per Epiſtolam iniunctum obtinuit. Ad eum modum Gregorius committens ſcribebat: Ideo in nomine indiuiſibilis Trinitatis per inconcuſſam autoritatem B. Petri Apoſtolorum Principis,*

cipis, cuius doctrinæ & Magiſterio fungimur, & locum ſacræ ſedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus, atque præcipimus, vt in Verbo Dei, (quo igne ſalutifero, quem Dominus venit mittere in terram, enitere videris) ad quaſcunque gentes infidelitatis errore detentas, properare Deo annuente potueris, myſterium Regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignes, & per ſpiritum Virtutis & dilectionis & ſobrietatis, prædicationem vtriuſque teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione transfundas. Diſciplinam denique ſacramenti, quam ad initiandum Deo præuio, credituros tenere ſtudeat formula officiorum ſanctæ noſtræ Apoſtolicæ ſedis inſtitutionis tuæ gratia prælibatâ volumus vt intendas. His literis receptis Bonifacius in Thuringiam conceſſit. Vbi quamdiu hæſit omnes illius prouinciæ principes verbis ſpiritualibus alloquens, ad ſacram complectendam Fidem & Religionem inuitauit. Sacerdotes quoque, quos variis deditos flagitiis comperit, ſermonibus Euangelij ad inſtitutionis Canonicæ normam correxit.

Scitè & peritè Bzoui. Bonifacius ante viginti duos annos iam fuit ſocius S. Willibrordi, Suibertique in Germania, & primum hoc anno è latebris monaſterij prodit, & Romam proficiſcitur, vti cum Apoſtolica poteſtate in Germaniam ablegetur. Hæc mi Bzoui iſtis narra qui memoria carent:

rent: ego cum tua vineta cædis, aliquantum recordor. Non neſcio quidem ſanctum Bonifacium ante hanc profectionem in Friſia fuiſſe, & parum etiã effeciſſet ſed Bzouium tantum coarguo, quod ſibi ſuíſque verbis non conſtet. nam ſi hactenus in monaſterio ſuo ſanctè inſtitutus eſt, ad Friſones non iuit, in Germania certè non fuit circa annum Domini 697.

§. 2. Anno Chriſti 723. ait Bzouius N. I. *Gregorius Pontifex acceptis à S. Bonifacio literis cum Romam accerſiuit, venientémque benignè excepit, de fide quam prædicauerat déque ſucceſſibus prædicationis interrogauit, & tandem pridie Kal. Decemb. eum conſecrauit Epiſcopum, & Bonifacium deinceps dici voluit cum antea Winfridus diceretur.*

Nihil dum carpo Bzoui; maneant hæc tua verba quo merentur loco, ſed tamen mox laciniam tuam prehendam, & in aurem aliquid dicam.

Anno Chriſti 755. N. 6. ad finem ita ſcribis, *Vixit S. Bonifacius in non Epiſcopatu annos 36. mẽſes ſex & dies totidem. Paſſus eſt cum ſociis ſuis Nonis Iunij anno peregrinationis ſuæ quadrageſimo, Epiſcopatus verò decimo. Eius eſt nobile dicterium in Concilio Triburienſi renunciatum de antiquis ſacerdotibus aureis in calicibus ligneis, & recentioribus ligneis in calicibus aureis.*

Hìc ego & nihil intelligo, & nimium intelli-

go, mi Bzoui: fateor tibi imbecillitatē ingenij mei. Agedum effare, quid ſignificet, Vixit in nō epiſcopatu annos 36? An tua mens eſt Bonifacium fuiſſe triginta ſex annorum antequam Epiſcopus conſecraretur? accipio ſi ita vis. annis ergo triginta ſex quibus extra Epiſcopatum vixit ſi adiicias decem alios, quibus in Epiſcopatu vixit, vti tu hîc affirmas, erunt totius Bonifacij vitæ quadraginta ſex: quia verò vti tu etiam hîc tradis quadraginta anni fuere Bonifacianæ peregrinationis, efficitur S. Bonifacium Apoſtoli munus anno ætatis ſuæ ſexto, tot enim duntaxat habuit, inchoaſſe, quādo in Germaniam venit, vt concionaretur. Quod ſi dicas voculam (non) redundare, & expungi debere, tunc ſenſus erit verborum tuorum, Vixit S. Bonifacius in Epiſcopatu annos 36. menſes ſex, & dies totidem. Víſne hoc dicere? rectè. Sed quem ſenſum inſequentia tua hæc verba habebunt, *Paſſus eſt anno Epiſcopatus decimo?* Vnúmne idémque eſt in Epiſcopatu 36. annis viuere, & pati anno Epiſcopatus decimo? Deinde ſupra dicebas Bonifacium anno Chriſti 723. è Germania Romam euocatum, & Epiſcopum conſecratū: numera ab hoc tuo deſignato, vſq; ad annū 755. & mihi nuncia quot āños inueneris: ego quidem 32. tantum inuenio, quomodo ergo Bonifaciū in Epiſcopatu dicis vixiſſe triginta ſex āñis, menſibus ſex, & diebus totidē; aut mortuū āño Epiſcopatus decimo? In vtroq; captus es.

Demum

Digitized by Google

Demũ tua ipſius teſtificatione in Germaniã venit Bonifacius añoChriſti 719. paſſúsq; eſt año 755. non igitur anno 400. ſuæ peregrinationis, ſed 36. Quod ſi ad priorẽ tuam ſententiam confugis & Bonifacium anno 697. peregrinationis ſuæ feciſſe initium dicis, inuenies peregrinationis años non ſolum 40. ſed omnino 58. Scribit quidem Othlonus Bonifaciũ cæſum anno Epiſcopatus 36. peregrinationis 40. ſed initium epiſcopatus & peregrinationis non affigit annis certis, ideóque non pugnat ſecum vti Bzouius; & initium peregrinationis forte ſumit à prima Bonifacij in Friſiam profectione, quæ in annum 715. inciderit. Quid tibi videtur lector? an non exquiſitus ſcriptor Bzouius eſt?

Sed en decipulam. Scripſerat Othlonus in vita Bonifacij, eũ vixiſſe in Epiſcopatu annos 36. menſes 6. & dies totidẽ. Quem rectè corrigit Baronius, cùm ait, annos illos 36. non fuiſſe Epiſcopatus ſed prædicationis à Gregorio II. iniunctæ, quæ includat annos Epiſcopatus Moguntini, ſed non niſi 10. abſolutè tamen nulla certæ Eccleſiæ habita ratione Epiſcopum fuiſſe creatum anno 723. *Eodẽ anno N. XLIII. §. 2.* *Ibid. N. 1.*

§. 3. Anno Chriſti 745. N. 5. ſcribit Bzouius. *Omnia deinde in ſynodo illa Germaniæ à S. Bonifacio geſta Zacharias Papa approbauit, & dignitatem metropolitanã illi & Eccleſiæ Moguntinæ cõfirmauit, datis ad eum & Carolomannũ ac Pipinum Francorũ Principes epiſtolis.*

 Intel-

Intelligo, mi Bzoui, quid dicas. Quod ſi ita ſe habet, quæſo quid tibi animi fuit, cùm ſcripſiſti poſtmodum anno Chriſti 751. N. 2. *Conſuluit ad omnia Zacharias, & priuilegia poſtulata conceßit, Eccleſiámque Moguntinam in metropolitanam erexit, cui Tungrenſem, Colonienſem, Wormatienſem, Spirenſē, Trecenſes & omnes Germaniæ gentes quas S. Bonifacius ad Chriſti fidem adduxerat, ſubiecit.*

Mira loqueris, Bzoui, ſed non credenda; Moguntinæ Eccleſiæ metropolitana dignitas anno Chriſti 745. iam confirmata fuit, & anno demum 751. in metropolitanam erecta eſt? Ita fortaſſe tu ſex annis profeſſionem edidiſti in Ordine tuo, antequàm cucullum indueres. Quid attinebat fingere metropolitanam dignitatem & Germanicæ *Capit. Carol. l. 1. c. 71.* ſynodi approbationem anno 745. factam, de qua nil auctor quem citas; nil Baronius quem figmentis amplificas.

§. 4. Anno 690. I. Bzouius ſequentia in vnum cumulum abſurda congerit. 1. ſolum Bedam teſtem laudat, cum tamen quæ de Wilibaldo & Wunibaldo ceterorúmque fere omnium Ecberti ſociorum nominibus tradit non ex Beda exſcripſerit ſed ex Pſeudomarcellino, qui & Baronio impoſuit, cuíque laruam Iacobus Gretſerus detraxit. 2. *1. Obſeruat. de ſanctis Eiſtett. c. 9. p. 188* Beda c. 10. f. ſolum Wictbertum nominatim exprimit, c. 11. ac 12. ſignificat etiam Wilbrordum & Suid-

& Suidbertum fuiſſe ex 12. Ecberti ſocijs. Reliquos non nominat, ſatis tamen indicat, profectos poſtea cum Wilbrordo in Freſiam. Duodecim enim ab Ecberto miſſos tradit, illos ipſos puta, quos ante delegerat, excepto fortaſſe Wictberto, qui iam inde redierat. Horum deinde exempla ſecutos duos Heuvvaldos in prouinciam antiquorum Saxonum prædicandi Euangelij cauſa veniſſe ſcribit. Ex quo refellitur *B*zouius, qui eos ab Ecberto & quidem prius delectos narrat. 3. presbyteros ſocióſq; Ecberti facit Wilibaldum decem, Wunibaldum quatuordecim annis prius quam naſcerentur, cum ille ſeptingenteſimo, iſte ſeptingenteſimo quarto Domini anno demum natus ſit, vt Gretſerus confirmat. 4. Eoſdem deinde Wunibaldum & Wilibaldum poſt 35. annos adeoque minimum ſexagenarios à S. Bonifacio anno 725. euocatos refert, & quidem ex Bonifacij patria, hoc eſt, Anglia (Anglum enim fuiſſe fatetur, vt ſupra vidimus) cùm anno 690. eoſdem ex Hibernia profecturos narret, nam ex Hibernia Ecbertum cum ſocijs profecturum ſcribit Beda à Bzouio citatus. 5. Eiuſdem de Wunibaldo & Wilibaldo à Bonifacio euocatis narrationis auctorem nominat Wilibaldum, cum fuerit Othlonus, iſque rem hanc ex Wilibaldo non mutua-

Ibid. c. 7. p. 178.

N. IV.

P. 23. poſtm.

tus, vt ex Wilibaldi libro conſtat. 6. Ecbertum reuertiſſe in patriam, cum Beda dicat reuerſum in locum dilectæ peregrinationis, in quo multos annos anachoreticam peregrinus vitam egerit.

N. V. §. 5. Anno Chriſti 853. Marianũ Scotum exagitat Bzouius, vt primum auctorem fabellæ de Ioanne fœmina Pontifice; nec laborat, qua arte homines alienæ terræ excuſet; ſatis eſt, ſi ſuos defendat. Et certè ſi eiuſdem fabulæ præco Martinus Polonus in Scotia infans vagijſſet, æquè atque Marianus à Bzouio vapulaſſet; nunc autem quia Polonus eſt, mitem iudicem inuenit Bzouium. Quod ſi ſeipſum eundem Mariano inuidit, eccur excluſit Alberti Kranzij annales Coloniæ an. 1574. impreſſos? reperiſſet in ijs libro 2. c. 1. pag. 100. metrop. hanc notam. *Quæ hic auctor* Cranzius *de Ioanne fœmina refert, in odium Romanorum Pontificum confiɛta fuiſſe teſtantur Marianus Scotus & Sigebertus; quorum quæ ſuperſunt MS. exemplaria, fraudem illorum detegunt, qui eorum impreſſis voluminibus id inſeruerunt.* Etiam Nicolaus Serarius Societatis IESV Theologus Marianum defendere poterat, ſi permiſiſſes, Bzoui, l. 1. rerum Mogunt. c. 42. n. 41. vbi inſuper addit, ex mendis, quæ in computatione temporum commiſit, qui Marianum corrupit & infarſit, colligi Marianum fuiſſe alienum

alienum ab auditione vel ſcriptione infamis illius fabulæ. Porro cur ad defendendum Marianum non dedit locum Bzouius viro doctiſſimo qui Chronicon Sigeberti Gemblacenſis ad autographum emendatum edidit an. 1608? Eſt is Aubertus Miræus Bruxellenſis Canonicus, qui ad annum Chriſti 854. quo per fabulam proditur ſediſſe Romæ Ioannam Papiſſam, hanc notam adiicit, *Quod ad Marianum Scotum attinet, quem aduerſarij quoque nobis obiiciunt, Chronicon eius in pergameno charactere vetuſtiſſimo exaratum ex Bibliotheca Gēblacenſi ad me miſit R. V. Ludouicus Hombechus illius loci Abbas; noſtra pariter cura, ſi Deus vitam dederit, euulgandum; in eo nulla prorſus Joannæ Papiſſæ mentio, ne ad oram quidem.* *Ex quibus liquet Marianum iniuſtè à Baronio annal. t. 10. tanquam fabulæ huius aſſertorem accuſari & caſtigari.* Hæc Miræus pro Mariano viro ſancto; talem certè Trithemius teſtatur in plериſque Germaniæ locis appellatum eſſe; Bzouius eum per contemptum hominem Scotum nominat, mendaciique, vt ipſe loquitur, reuincit; ſcilicet alij rectius ſcriberent, ſi Bzouius rectius legeret.

§. 6. Tom. 13. Annal. Anno Chriſti 1294. N. 1. narrat Bzouius, *Hoc anno volens nolens ex humanis abiit Joannes Dunſius natione Scotus, ex Minorum familia, Alexandri Alenſis Britāni quondā in Gymnaſio*

naſio Lutetiæ auditor, vir admiranda ſubtilitate eruditionis, ob profundiſsimam dicendi ſcribendíque obſcuritatem σκότινος (Bzouius videtur eſſe σκοτεινὸς in græcis, bis enim labitur in vnica vocula) *id eſt tenebricoſus quod olim obſcuriſsimi Anaxagoræ cognomen fuit, cognominatus, & ob nouam ſcholaſticæ Theologiæ ſectam de nomine ſuo dictam, omnibus longè notiſsimus; ſcripſit præter logicas difficultates, Commentarios in Euangelium, in Apoſtolum, in Magiſtrum ſententiarum, quibus aliquis illud carmen quod ex tractatu Ezechielis Prophetæ viſioni cuidam D. Hieronymus præpoſuerat, ſubſcripſit,*

Hic labor ille domûs & inextricabilis error,
Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter ancipitémq;
Mille viis habuiſſe dolum, quo ſigna ſequentum
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.

Iure merito emblematis loco iſtud epigramma operibus ſuis præfixum, nam omnia quæ ſcripſit, dixítque, adeo ſunt denſis tenebris damnata, vt vix in eius ſchola detritis appareant.

Paulus Iouius elogio adiuncto virum ornauit. Nemo, inquit, eorum, qui non inſano Chriſtianæ pietatis amore flagrantes vltro ſeſe Cœnobiis in ſeruitutem addixerũt, Ioanne Scoto in grauiſsimis ſtudiis aut acrior aut ſubtilior fuit; cum admirandis commentationum voluminibus editis nouam de nomine ſuo ſe-

ctam

ctam conderet, & in Aquinatis ſcripta non diſſimulanter inueheretur. Natus eſt in vltima Britannia ad Calydoniam ſiluam, vt minus mirum ſit Anacharſin ſummæ ſapientiæ philoſophum apud vecordiſſimos Scythas, craſſo atque ingeniis excolendis importuno cælo patriam habuiſſe. Verùm hic proteruo captioſóq; differendi genere Chriſtianis dogmatibus illuſiſſe videatur, cum paſſim inducta quæſtione dubitabundus ſacrarum rerum fidem nequaquam tenui figmentorum caligine confudiſſet. Seuit enim ideo lites immortales, quando eius placita vel grauiter ab aduerſæ ſectæ profeſſoribus oppugnata, ex aduerſo ab eius diſcipulis acerrimè defendantur. Sed qui aliquot præclara eius ordinis ingenia ad optimam frugem nata diſtorto ſcilicet ad veritatem itinere ſuſpendiſſe perdidiſſéque videtur, manifeſti aut certè occulti criminis apoplexia correptus pœnas perſoluit. Ita quidem vt nimis feſtinato funere pro mortuo tumulatus, quum redeunte vita ſerò morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra ad petendam opem miſerabili mugitu edito, pulſatóq; diu ſepulchri lapide, eliſo tandem capite perierit, &c.

Spaciaris Bzoui à Mariano Scoto ad Ioannem Scotum, quem tu tenebroſum nominas, & ipſe tenebras in oculis circumfers etiam dum hæc vaniſſima de Scoto iactas, eúmq; Alexandri Alenſis Britanni auditorem fuiſſe ſcribis, quod vnum ex maioribus miraculis tuis eſt, cùm Scotus triginta an-

Digitized by Google

nis poſt Alexandri obitum natus fuerit. Obiit enim Alexander anno 1245. vt Petrus Rodolphus Toſſinianenſis, Epiſcopus Senogallienſis & hiſtoriæ Franciſcanæ ſcriptor l. 3. fol. 306. fac. 2. Bellarminus in ſcript. Eccleſ. Poſſeuinus in Apparatu ſcribunt. At Scotus natus eſt año demum 1275. quod hac ratione comperies; nam anno 1304. vel 1305. Doctoris nomine inſignitus eſt Scotus, vt ex epiſtola Gonſalui tum Generalis Minorum idem Toſſinianenſis oſtendit; eo autem tempore Scotus eodem Toſſinianenſi teſte nondum trigeſimum ætatis annum ingreſſus fuerat. Sed Bzouius breuiore via veritatem diſcere ex Poſſeuini Apparatu poterat, vbi hæc leguntur, *Ioannes Duns, Gulielmi Varronis Anglici (non autem Alexandri de Hales (uti putabat Trithemius, & ex eo Sixtus Senenſis) qui anno 1245. diem obierat) Pariſiis quondam auditor & diſcipulus, floruit anno Domini 1300.*

Sed pergamus ad reliquas Bzouij, quibus ſe non Scotum inuoluit, tenebras. Integerrimi viri celeberrimo nomini neſcio quos nigricantes fumos offundit. Longè aliter de Scoto alij & ſenſere & ſcripſere. Tradit Toſſinianenſis l. 3. f. 325. & 326. Scoto olim Coloniam aduentanti primores ciuitatis cum toto Clero officij cauſâ obuiam prodiiſſe, duxiſſéque in vrbem cum amplo honore & ciuium plauſu, habitus enim eſt pro homine non maio-

Digitized by Google

maioris in rebus philoſophicis ac theologicis ſubtilitatis, quàm pietatis in Deum, & ſingularis in Virginem Deiparam cultus, cuius immaculatam conceptionem primus in gymnaſiis theologorum palam docere ac propugnare auſus fuit.

Nec mortuus eſt Scotus hoc anno 1294. vti tu falsò ponis Bzoui; ſed anno demum 1308. 6. Id. Nouembr. vti conuinceris ex Franciſcanorum hiſtoria, & ex impoſito ſepulchrali lapide Coloniæ Agrippinæ, vbi prima fundamenta academiæ vrbis illius iecit. Pellege epitaphium eius, quod tumulo æneis literis affixum,

Ante oculos ſaxum doctorem deprimit ingens,
Cuius ad interitum ſacra Minerua gemit.
Siſte gradum lector, fuluo dabis oſcula ſaxo,
Corpus Ioannis hæc tenet vrna Scoti.
Anno milleno tercentum cum adderet octo,
Poſtremum clauſit letho agitante diem.

Eundem mortis Scoticæ annum aſſignat *B*ellarminus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis & Poſſeuinus in Apparatu.

At quæſo te Bzoui quid peculiare mors Scoti habuit, quod *nolens volens* mortuus ſit? hæc communis omnibus ſors eſt. Nec refert quod Bzouius in Scoto inſectando Iouium olim medicum, anteſignanum habeat, vtpote ſeuerioribus Theologorum Muſis parùm amicum, & præſertim, vt ap-

Digitized by Google

paret, Scoticæ ſubtilitati. In eloquentia virum laudo; hiſtoriæ fidem nonnulli in eo maiorem deſiderant: Roberti Turneri certè in libello de hiſtor. c. 6. iudicium de eo iſtud eſt: *Iouius malè ſanus eſt ſcriptor, laudat, vituperat, non ad normam veritatis, ſed pro ratione præmij: ſine veritate, multa de Turcis glorioſè, de Germanis maledicè; mendacia ſi ſecernas, auctor eſt non contemnendus.* Hæc Turnerus; qui etiam hiſtoriam hanc de Scoto, ſi rogaretur, ſecerneret. Petrus Rodolphus Toſſinianenſis vel potius apud eum Ioannes Stommelius Colonienſis acribus ſanè verbis Iouium inceſſit, figmẽtúmque de apoplexia Scoti dum viueret in tumulum illati, refellit. Quod Bzouium tantum ſcriptorem latere non debuit, cum totius retro Chriſtianitatis, rerúmque per eam geſtarum arbiter ſedeat.

Antonius Poſſeuinus in ſuo Apparatu ita de Scoto ſcribit, *Quin etiam quoniam Iouius ſuis elogiis, & alij de Ioanne Duns Scoto, quaſi non ſolum obſcuriore, ſed & veritati (vt non rectè putabant) tenebras offundente, licentiùs fuerant locuti, Bartolucius apologia ſyllabo præfixa, vindicat Scotum ab obtrectatione, cuius doctrinæ graue illud teſtimonium extat, quod eius libri abſque vllo erroris næuo vſque in hanc diem trecentos circiter annos in Oecumenicis Conciliis inuiolati permanſerunt.*

Certe

Certe cùm illud D. Auguſtini de laude charitatis verum ſit; Ille tenet, quidquid latet, & quidquid patet in diuinis ſermonibus, qui charitatem ſeruat in moribus: haud mirum fuerit, ſi ingenium doctoris ſubtilis appellati modeſtia & charitate præditum, altiſsimos ſenſus eruere potuerit ad veritatem indagandam. Nunquam enim ſuam ſententiam profert in aliorum iniuriam, vel depreſsionem. Quin quorum aut errores conuellit, aut opiniones excutit, tam id modeſtè, & adeo plerunque ſuppreſſo nomine facit, vt Chriſtiano pectori hæſiſſe à Domino ſapientiam (certè integram mentem) coniici poſsit. Vides, opinor, Bzoui, quàm diſſimilis tui Scotus fuerit.

Atque hæc primum tibi dicta ſunto, & poſt te Ioanni Frid. Mateneſio abbreuiatori tuo, qui de Scoto partim eadẽ, quæ tu, partim ſimilia refert an. 1294. N. 1. in hunc modũ, *Hoc anno volens nolens ex hac vita migrauit Ioannes Dunſius Scotus, ſubtilis quidem Ordinis fratrum Minorum Doctor, ſed adeo tenebroſus vt σκότινος paſsim diceretur, & cum omnia in dubium vocaret, mors eius in dubium quoque vocata eſt: apoplexia enim correptus exanimem putantes nimis feſtinato funere ad ſepulchrum in choro ſui Ordinis deferunt, qui dein morbi violentia ceſſante ad ſe reuerſus pulſato fruſtra ſepulchro, & miſerabili mugitu edito, eliſóque tandem capite periit Coloniæ, cui aliquis poëtarum*

Quod nulli vnquam hominum accidit, viator,
Hic Scotus iaceo ſemel ſepultus
Et bis mortuus, omnibus ſophiſtis
Argutus magis atque captioſus.

Latomus addidit aliud,

Quæcunque humani fuerant, iuriſque ſacrati
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto:
Quid? quod & in dubium illius ſit vita vocata,
Morte illum ſimili ludificante ſtropha:
Cum non antè virum vitâ iugulauit adempta,
Quàm viuus tumulo conditus ille foret.

Hæc Mateneſius, quæ iam refellimus, præter illa eius verba, *Apoplexia correptus exanimem putantes ad ſepulchrum deferunt:* quorum verborum ſyntaxis ad Grammaticam Bzouianam pertinet. Græcum etiam illud σκότινος fideliter ex Bzouio* Mateneſius transſcripſit.

§. 7. Delibemus & alium locum è tom. 13. annalium, quem Bzouius ad explendos Baronij annales conſarcinauit. Anno Chriſti 1273. N. 6. ita narrat. *Principes Germani qui Rudolphum Cæſarem elegerunt, expreſſerant, vt intra annum in Italiam diadematis cauſa ſe profecturum profiteretur. Veruntamen ille totis quibus imperauit annis, ſemper nouas occupationes publicè cauſatus, nunquam Italiam ingredi voluit. Ab amicis interim rogatus quamobrem*

ab

ab Italia deterreretur, non diſſimulanter reſpondit, Quòd Cæſarum in Italiam veſtigia læta, magnifica, plenáq; bonæ ſpei videret: ex Italia verò reuertentia & foras verſa, triſtia, miſera, luctuoſa. Aliquis maleferiatus Germanorum hiſtoricus in odium Pontificum, leonis Æſopei fabellam iſthuc attexuit: cùm tamen illorum populi ſibi ipſis imputare deberent, eam quam non ſemel ab Italis pertulerunt cladem, quod Spiritus tumentes attuliſſent, quódque temulenti inſolentésque, in fortunas, capita, pudorémque eorum ſimul ac honorem ſeſe impudenter habuiſſent. Vel enim vna Creſcentij Ducis extincti vxor olim à Germano violata in exemplum ſuffecerit, ad rapacitatem crudelitatémque, ſuperbiam, libidinem, ac reliquas à cælo illo peſtes toto antro exhalantes demonſtrandas: à quibus Germanum nomen intra orbitam pacis ac puritatis obliquis hirquis viſum.

Hîc è maleſano pectore ingentem vim veneni ſpuit Bzouius religioſæ modeſtiæ penitus oblitus. Totam Germaniam fœdo calamo conſpurcat, nulla alia cauſa adductus, quàm liuida quadam malignitate. Temulentiā illi obiicit, inſolentiam, impudentiam, libidinē, ac reliquas *peſtes à cælo* germanico *exhalãtes*. Quo fine quęſo, Bzoui, hunc vomitum eiectas? an is hiſtoricus quem tute tibi hîc fingis, qui fabulam Æſopi imperatorio dicto accommodauit, tantum nefas in Italos cõmmiſit, vt

à te

à te Germania, imò ipſi Germani Imperatores tam impudenter plecti debeant? Redierint pauciores è Germanis Cæſares, quàm intrarint Italiã, ergo eam ob cauſam ſemper perfidiæ aut cædis rei appellabantur Itali? Mars & mors ab natura imperata etiã ſuas ſtrages edunt. Nec verum eſt hunc apologum odio Pontificum à maleſeriato confictum; in odium potius monachorum tuorum addecebat dicere, noſti enim tui ordinis F. Bernardum hiſtoricorum ſcriptis ęterna infamia laborare, ob hoſtiam veneno, vt complures affirmarunt, illitam, & Henrico ſeptimo, cum is ſacro epulo accumberet, ingeſtam. Purgas tu quidem illum Tom. 14. Anno Chriſti 1313. N. 16. ſed tam frigidè purgas, vt tibi aqua hærere videatur. Ego ſanè eum reum non ago: malo innocentem hominem, quàm ſontem; quanquam ſi maximè criminis manifeſtus foret, id religionis tuæ ſanctimoniæ non obeſſet; vbique malos reperias, etiam inter optimos: inter quos vtinam & te inuenirem, certè linguam tuam & calamum apud eos non inuenio; & ob idipſum Germania nomen tuum *obliquis hirquis* intuetur.

Sed libidinem Germanicam exemplo Creſcentij, ſeu vt alij appellant, Creſcentis vxoris violatæ exaggeras. Quæ hæc libido Bzoui? tua magis eſt quam Germanorum. Finge crimina, vt iuſta exagitatione, quos odiſti, diuexare videare. Anno

Chriſti

Chriſti 996. N. 2. inter cauſas cur Gregorium V. Otto III. honori Pontificio reſtituerit, ac Ioannem ab Creſcente intruſum eiecerit, enumeras & hanc, quod inflammatus fuerit amore illicito Creſcentij vxoris Romanarum venuſtiſſimæ. Quis tibi Genius hanc cauſam ſuggerit, Bzoui, quis auctor? Poſt ſtrangulatum demum Creſcentem laſciua mulier amores Cæſareos ipſa ambiuit, & ſi violata eſt, à ſeipſa violata eſt, vtpote viri & flagitij cupida. Audio & meliorē & veriorem te hiſtoricū Sigoniū in Ottone III. prope finē. *Cæterum*, ait, *Creſcentis vxor*, mortuo iam marito, *quæ ipſum* Ottonem *ſpe regnandi ad amorem ſui pellexerat, diſceſſu eius dolens venenatum chirothecarum ſimulatæ amicitiæ munus ad eum miſit, quo ille ſenſim infectus* XII. *Kal. Februarias apud Paternum ex vaticinio ſancti viri extinguitur*. Hæc Sigonius Italus, qui crimen fœminæ Italæ deſcribit, non Germani Principis.

Verùm ego hanc tuam in Germanos Philippicam non adſcripſi, vt paria redderem, & inſano inſanis verbis reſponderē; adſcripſi, vt ſuetam tibi antilogiam patefacerem: nam hoc loco apologum de leone Æſopeo confictum ais ab malè feriato hiſtorico, & non à Cæſare Rudolpho recitatum: & alibi longè alia tibi verba effluxere, quæ deſcribi non poſſunt ſine rubore tuo. Anno Chriſti 1283. N. 14. Tom. 13. Annalium ita infis, *Cum à quibuſ-*

dam Principibus rogaretur Cæſar Rudolphus *cur ipſe Romam non peteret, vt Imperialem coronam acciperet: præſertim cum ab iiſdem ciuitatibus, quas priuilegiis ornauerat, & à multis Italiæ Principibus ad id inuitaretur, vt erat facetiſsimus, talem eis apologum reddidit, Quondam, inquit, omnes feræ à rege animantium in altum quendam montem, ſpecubus & antris concauum accerſebantur. Venerant feræ pleræque omnes. Sagax vulpes antro quidem proxima, ſed priuſquam montis profunditatem ingrederetur, aliarum animantium reditũ præſtolabatur. Cùm autem pauciſsimæ reuerterentur: neque ego, inquit, ingrediar: ne fortè in illorum numero, quæ intus manent, connumerarer, & non eorum, quæ egrediuntur. Innuere volebat plures quidem Cæſares in Italiam ingreſſos fuiſſe, ſed paucos cum ſuo atque patriæ commodo feliciter rediiſſe.* En Bzoui quis hunc apologum vſurparit, Cæſar, an maleferiatus hiſtoricus? Sed cum tu hoc loco Cæſaris dictum velut citra vllius iniuriam prolatum, explices, quis bile tumens ſtomachus te ſupra impulit, vt idipſum veneno tui pectoris inficeres, & ob id Germanos inſtar hiſtrionis, quem pudor deſeruit, tractares? Certè ſi Germania peſtes exhalat, vide tu quis halitus Italiam adflarit, quando è Polonia per Germaniam iter faciens, alpibus exceſſiſti, & terram illam orbis olim Dominam intraſti.

§. 8.

§. 8. Anno Chriſti 996. N. 2. hiſt. Eccleſ. Bzouius ita recenſet, *Is* Otto III. *ſimul atque intellexit Gregorium* Pontificem *expulſum*, *Ioannem verò à Creſcentio Conſule ſeu Duce introductum eſſe*, *Gerberto illo Rhemis deiecto Archiepiſcopatu Rauennate in itinere donato, Romam contendit: & tum ambitu deriuationis in Germanos per Gregorium conſanguineũ ſuũ imperij, tum neceſſitudine ſanguinis erga eundẽ Gregoriũ, tum amore illicito coniugis Creſcentij, quæ venuſtiſſima Romanarum erat, inflammatus, Gregorium quidẽ reſtituit, Ioannem verò à Creſcentio ſuffectum ſede exturbauit. Creſcentium autem in caſtro S. Angeli incluſum obſedit, & promiſſione impunitatis, dolo & arte ſeductum capite imminuit, vxorémque eius caſi in concubinam accepit.*

Tanta verò immanitate Ottoniani in Joannem ſæuierunt, vt oculis, lingua & naſo orbatum aſello retro conuerſum impoſuerint, datáque ei in manus cauda vectoris ſui per vrbem circumduxerint, iſtud conclamantes, Tale ſupplicium patitur qui Romanum Papam de ſede ſua pellere nititur. Quod cum intellexiſſet S. Nilus, hominem ſcilicet tanta contumelia affectum & in carcerem coniectum eſſe, Romam veniens ſupplex Imperatori fuit, vt illum cœcum, elinguem & mutilatum ſibi concederet : ſed ille iam in carcere defunctus ſepulturaq́ traditus non ſuperuixit.

G 2 Tria

Digitized by Google

Tria hîc Bzouius queritur, violatam ab Ottone fidem, vxorem cæſi Creſcentij in cōcubinam abductam, Ottonianorum ſeu Germanorum in Ioannem Pſeudopontificem crudelitatem. Et quidem de fide ab Ottone non ſeruata, non multum pugnabo, cùm non Baronius ſolum, ſed & Leo Oſtienſis lib. 2. cap. 18. & Damianus, Sigonius aliíq; Bzouio excellentiores hiſtorici id affirment. Sed tamen quia Bzouius præter Leonem Oſtienſem, ſolos pro I. & II. numero nominatim Dithmarum lib. 4. & Glabrum lib. 1. cap. 4. in margine citat, lubet ab eo quærere, num ſimile quid hi duo narrent? quid dico ſimile quid? Glaber apertè ſcribit, Creſcentium ſponte ſeſe dedentem ad caſtrum, in quo ſe defenderat, ab Imperatore remiſsū, & poſtmodum aperto Marte captum. Loquatur ipſe Glaber lib. 1. cap. 4. m. *Quod enim cognouiſſet*, inquit, *Creſcentius illum* Ottonem *Vrbi propinquare, conſcendens cum ſuis turrim, quæ ſita eſt extra ciuitatem transuerſum ob altitudinem ſui inter cælos vocatam vallauit, eam defenſurus pro vita. Tandem cum perueniſſet Imperator ad vrbem, primitus iuſsit comprehendere illum malè ſecurum Pontificem videlicet Creſcentij arrogantia conſtitutum comprehenſum, & præcepit eius manus quaſi ſacrilegas amputari, deinde verò aures abſcindi atque oculos expelli. Poſt hæc denique comperiens Creſcentium, vt diximus, turre valla-*

vallatum, quæ ſcilicet paulò pòſt illum crudeli erat redditura neci, præcepit eandem circumdari denſa obſidione ſui exercitus, ne ſcilicet Creſcẽtio quoquo modo locus daretur confugij. Interea iubente Imperatore conſtruuntur in gyro machinæ ex lignis celſarum abietum, nimium artificioſè compoſitæ. Cernens quoque Creſcentius nullam poſſe euadendi viam reperire, licet tardius pœnitudinis adinuenit conſilium, non tamen ei præſtitit miſerendi aditum: quadam igitur die quibuſdam de Imperatoris exercitu conſentientibus egrediens, latenter Creſcentius de turre ſcilicet, birro indutus & operto capite, veniénſque improuiſus corruit ad Imperatoris pedes, oránſque ſe ab ipſa roris pietate vitæ ſeruari. Cùm enim reſpexiſſet Imperator eius ad ſuos, vt erat amaro animo, dixit: cur, inquiens, Romanorum Principem, Imperatorum decretorem, datorémque legum, atque ordinatorẽ Pontificum intrare ſinitis magalia Saxonum? Hunc quoque reducite, eum ad thronum ſuæ ſublimitatis, donec eius honori condignã videlicet præparemus ſuſceptionem. Qui ſuſcipientes illum ſcilicet, vt iuſſum fuerat, illæſum reduxerunt ad turris introitum, ingreßúſque nunciauit ſecum pariter recluſis, quoniam ſolummodo tantum contingeret illis viuere, quam diu ipſa turris tueri valeret ab hoſtium captione, nec vllam prorſus ſalutem debere vltra ſeparare. At Imperatoris exercitus à foris vrgendo impellens machinas, paula-

 tímque

tímque euntes applicatæ ſunt turri, ſícque pugnæ inito certamine: dúmque alij deſuper contendentes intrare, alij prorupere ad hoſtium turris, illúdque concidentes euellunt, ſursúmque certatim gradientes, ad turris ſuperiora peruenerunt. Reſpiciens quoq; Creſcentius, cernit ſe teneri ab his, quos putabat pugnando longius arceri poſſe. Capto namque ipſo, & grauiter vulnerato, ceteríſque qui cum illo inuenti fuerant, trucidatis miſerunt ad Imperatorem, quid de eo * *perciperet. Qui ait, per ſuperiora, inquit, propugnacula illum deiicite apertè, ne dicant Romani ſuũ Principẽ nos furatos fuiſſe. Quẽ vt iuſſu fuerat, proiicientes, deinde poſt terga boũ religatũ per paludes marum plurimũ deuoluentes, ad vltimũ eum in conſpectu ciuitatis in trabe excelſa pendere dimiſerunt.*

* ſ. præciperet.

Fusè iſta Glaber, in quibus mihi à Bzouio demonſtrari digito cupio Fidem à Cæſare Ottone violatam. Ego autem illi contra oſtendam, Creſcentium in expugnatione turris iure belli captum & peremptum.

Alterum nempe ab Ottone cæſi Creſcentij vxorem in concubinam acceptam apud Bzouium certum eſt, ac propterea varias auctorũ ſententias ſubticet, totus à Baronio diuerſus, qui Anno Chriſti 1001. tom. 11. fol. 6. lit. D. ita ſcribit, *Porro de vxore Creſcentij Ioanna dicta quam domum introduxit, eſt diuerſorum aſſertio quoque diuerſa. Glaber ait,*

ait, eam cum leuiter in vxorem accepiſſet, paulò pòſt dimiſiſſe diuortio. Leo Oſtienſis non in vxorem, ſed in concubinam ab Ottone acceptam, illis verbis ſignificare videtur, quibus ait: qua ille impudicè abutebatur. Sed & Rupertus Abbas idem ſentire videtur, &c. Vide plura apud eundẽ. Sed demus iſtud Bzouio, hoc anno tamen Ioanna in concubinam non eſt accepta ab Ottone, quo aut Creſcentius interfectus eſt, aut ipſe Otto coronatus, ſed poſt longã temporis interiecti morã cum Romam ad ſedandum Romani populi tumultum Otto rediit, ſicut legenti Baronium tom. 10. an. 996. & 11. 1001. clarum eſt.

Tertium eſt, Iohannem pſeudopontificem immaniter ab Ottonianis truncatum & tractatum. Hæc in laudem Germanorum Bzouius: longè aliter & Petrus Damiani & Sigonius lib. 7. in Ottone III. pag. 184. *Inde exercitu Romam adducto*, inquit Sigonius, *ciuibus parere recuſantibus vrbem obſidione circumſedit. Aliquandiu acriter reſtitere Romani, quippe à Ioanne atque Creſcente magnorum ſpe præmiorum inflati. Ad extremum ſumma rerum omnium, qualis in obſeſſis plerunque vrbibus ſolet, inopia coflictati Creſcente in arcem refugiente, iram in Ioannem verterunt, captum ſcilicet oculis erutis, atque auribus & naſo præciſis, aſino præpoſterè impoſitum per frequentia vrbis loca circumduxerunt, vt Petrus Damiani ſcripſit, homo his temporibus proximus.*

mus, inde pace ab Ottone impetrata vltro portas ei patefecerunt: En longè aliam narrationem ex Petro Damiani & Sigonio ſcriptoribus Italicis ſumptam Bzoui, quos Glabro tranſalpino ſcriptori in re Italica ſummo iure præpono, præſertim cum & is teſtis accedat, qui res geſtas S. Nili conſcripſit. Sunt eius hæc verba apud *B*aronium anno Chriſti 996. tom. 10. pag. 903. lit. B. *Neque enim reuera tota res eius* Ottonis *conſilio peracta eſt.* Si quæ igitur crudelitas fuit in pſeudopontificem exercita, Romanorum ea non Ottonianorum fuit: imo Romani, vt non obſcurè indicat Sigonius, tanta cum contumelia Iohannem eieciſſe videntur, vt Ottonem ſibi infeſtum placarent.

Quarto ait Bzouius Iohannem Antipapam, quando Nilus pro eo ſupplex Imperatori aderat, fuiſſe iam mortuum, & tamen ſcriptor vitæ eius diſertè pronunciat eum adhuc in viuis fuiſſe apud Baronium tom. 10. anno 996. pag. 903. lit. B. *Cùm verò B. Nilus renueret in vrbe morari, propoſuerat illi S. Anaſtaſium extra turbas exiſtentem, & ſemper noſtro generi, Græcis ſcilicet, attinentem. Et iam accepiſſet B. Nilus conditionem, ſtudens, vt quam petebat gratiam, obtineret. Sed durus ille Papa non contentus malis, quæ aduerſus prædictum Philagathum patrauerat; cùm illum adduxiſſet, & ſacerdotales veſtes ei dilaniaſſet, per totam vrbem circumduxit.*

Viden

Viden Bzoui adhuc vixiſſe Philagathum, ſiue Iohannem antipapam? quid tu eum ante tempus trucidas?

§. 9. Anno Chriſti 996. N. 5. hiſt. Eccleſ. ita ſcribit Bzouius. *Hæc de Creſcentiis huius ſeculi, à cuius nobiliſſimæ familiæ Conſule liberatus metu Gregorius Quintus, mox ex Concilÿ decreto, quod hic ambiebat, Ottonem Imperatorio diademate coronauit.*

Suprà ſæpe admonui Bzouium, vti nobis hiſtorias ſcriberet, non ſuam aut opinionem aut figmentum. Ex decreto Concilij Romani coronatum ait Ottonem, & citat vitam S. Adalberti. Videat lector hanc vitam & iudicet hominem ſine iudicio omnia effutientem. *Interea* (legimus in vita S. Adalberti apud Surium, tom. 2. menſe Aprili, pag. 834.) *in purpura natus Otho rex tertius cauſa ſcandendi culmen Imperÿ, vt mos eſt à Magno Carolo Regum Francorum, multo comitatu Romã intrauit, optatum diu caput Latinæ terræ: oſtendit ſe quaſi poſt Deum altera iuſtitia veniat, iniqui omnes tremunt, boni magno gaudio gaudent. Fecit propter quod venit: quem ipſe in ſacellum ſuum tractum poſuit Papa Gregorius Cæſarem, benedixitque & populus Kyrie eleiſon celſa voce cantauit. Aſcendit ille vnctus cum corona Imperÿ Imperator Auguſtus gerens ſidereos vultus, & bonæ voluntatis plena præcordia ferens. Poſthac facta eſt Synodus & Zelo iuris du-*

ctus Moguntinus Archiepiſcopus, antiquam cantilenam cantat, & Epiſcopum ſanctum à quiete monaſterij ad relictos greges reuocare inſtituit. Hæc ibi. Igitur, mi Bzoui, poſt coronationem habita demum eſt Synodus: quomodo ergo ex eiuſdem Synodi decreto coronatus eſt Otto? Nulli magis te perdunt, quam tui teſtes.

§. 10. Anno Chriſti 1001. N. 2. hiſt. Eccleſiaſt. inquit Bzouius, *Admiſſæ etiam cædis Creſcentianæ & Ioannis acres ſtimuli perurgebant eius* Ottonis *pectus. Non deerat inſuper Creſcentij cæſi relicta Iohanna, cui pro libidine inconceſſa, diadema Imperij & nomen Auguſtæ ſpoponderat: hæc enim quod ab Imperatore coronationē extorqueret, is verò necquicquam amplius rerum in vrbe Romanis acriter incitatis, potēs eſſet, id vel maximè animum ipſius diſcruciabat. Quamobrem ſiue mœrore confectus, ſiue etiam veneno infectus (tradunt namque Iohannam, qua ille propter ſpem Imperij impudicè abutebatur, cùm vidiſſet ſpe ſua eſſe fruſtratam, in vltionem pudicitiæ ereptæ & mariti occiſi, chirothecas veneno imbuiſſe, Ottoniq; pro magno munere obtuliſſe) in morbū incidit grauiſſimum, omnem medicorū operā deſpuentem.*

Qui Bzouium vbertate rerum ſuperet, non facilè quis repererit: nā vbi alij parùm aut nihil ſcribere ſolent, ipſe pleno cornu verba fundit. Glaber lib. 1. c. 4. & Leo Oſtiens. lib. 2. cap. 24. ſoli teſtes hoc loco

loco laudantur, ſed vterque nimis ſiccus & rerum neſcius eſt, nec nouit quæ Bzouius nouit. Prior Glaber hæc ſolum ait, *Interea minus idoneo vſus* Otto *conſilio, prædicti Creſcentij Ioannis in ſuam vxorem aſſumens, quam etiam paulò pòſt, vt inconſultè acceperat, diuortium agens dimiſit, tandem quoq; nitens remeare ad Saxoniam morte ſuperueniente in Italia obiit.* Hæc Glaber. Oſtienſis verò loco notato, *Inde* Româ, ait, *cùm redire ad ſua cuperet, apud oppidum quod Paternum dicitur obiit: veneno vt fertur necatus ab vxore Creſcentij Senatoris ab eo (vt ſupra diximus) occiſi, qua ille impudice abutebatur.* Hæc Oſtienſis. Velim iam mihi hìc reſpondeat *Bzouius*, vbi hi duo auctores dicant Ottonē ſtimulis animi fodicatum ob Iohannem Antipapam tam crudeliter habitum? alienum factum hoc fuit, non Ottonis. Deinde edat, vbi apud hos legerit, ab Ottone Iohānæ Creſcentiæ fuiſſe promiſſum diadema imperiale pro inconceſſa libidine. Tertiò edat vbi legerit Iohannam in vltionem pudicitiæ ereptæ chirothecas veneno imbutas miſiſſe? Sigonius in Ottone III. prope finem ita ſcribit, *Cæterum Creſcentis vxor quæ ipſum ſpe regnandi ad amorem ſui pellexerat, diſceſſu eius dolens venenatum chirothecarum ſimulatæ amicitiæ munus ad eum miſit.* Itaque Otto mulieri huic pudicitiam non eripuit, ſed ipſa illam Ottoni proſtituit.

Digitized by Google

SYLLABVS ERRORVM IN BAVARIA COMMISSORVM.

CAPVT III.

ETſi Bauaria iam Germaniæ pars cenſetur, quia tamen bellum hoc propter Bauariam Bauariæque Principes auſpicati ſumus, non erit abs re peculiarem locum Boiæ tribuere, peritiámque Bzouianam leui penicillo deſignare. Vnum alterúmue aio, quia exemplis tantum paucis monſtramus, quantus ſit in multis Bzouius: ſi plura expetierit, non deerimus poſtulationi.

Prateol. lib. 9. §. 1. Anno 1273. N. 10. Tom. 13. Annal. Eccleſiaſtic. ita ſcribit Bzouius. *Flagellantium nomine ea hæreſis vocata ortum habuit in Italia. Inde per Gallias & Germanias vagata, plurimas ciuitates occupauit, atque innumerabiles vtriuſque ſexus & ſtatus homines in ſempiternum exitium præcipitauit. Aliquantum extincta poſtea circa annum Domini 1313. ſub Imperio Ludouici Bauari inualuit.* Laudo te Bzoui, quod Ludouicus Bauarus tibi inuito alicubi Imperator ſit: nunquam aliàs quod ſciam à te vel Imperator vel Cæſar appellatus eſt, ſubinde vel inuito veritas erumpit. Sed eſt aliud quod te hîc volo. Si Flagellantium hæreſis inualuit ſub Imperio

rio

Digitized by Google

rio Ludouici Bauari, ergo Ludouicus circa annum Domini 1313. Imperator fuit hoc anno decimo tertio vel etiam ante: at tu volumine XIV. annaliũ narras electum anno Chriſti 1314. & quidem circa finem illius. Fuit ergo Imperator antequam eligeretur, & poſtquam electus eſt, tibi Imperator eſſe deſiit.

§. 2. Anno Chriſt 1245. N. 16. annal. hæc habet Bzouius. *Eodem anno in vigilia S. Andreæ Apoſtoli, Otto primus ex ducibus Bauariæ Comes Palatinus Rheni, contemptor poteſtatis Eccleſiaſticæ pœnas vlciſcente Numine dedit. Fuit hic initio regiminis, pius, iuſtus & clementiſſimus Princeps; poſtea tamen à Friderico Imperatore diris deuoto ſeductus, Clerum vniuerſum perſequi cœpit, & ab Innocentio Pontifice anathemate percuſſus eſt. Quod cum contemneret, atque Eccleſiaſticos vexare non ceſſaret, in prædicto peruigilio S. Andreæ, cum vxore, filiis & familia ingenti lætitia oblectatus, noctu morte ſubitanea extinctus eſt. Chron. Hirſaugiens.*

Subitanea mors Ottonis I. Ducis Bauariæ aſſeclæ Friderici II.

Non omnia *Bzoui* quæ tu hîc affers Chronicon Hirſaugienſe habet: aſſumento tuo alienus ſermo ornatur. Audiamus ipſum Trithemium in chronico, *Eodem anno*, inquit, *in vigilia S. Andreæ Apoſtoli, in nocte, Otto primus ex Ducibus Bauariæ, comes Palatinus Rheni obiit, qui in principio ſui regiminis pius, iuſtus & clementiſſimus princeps fuit.*

Poſtea cum Friderico Imperatore ſentiens excommunicatus eſt, cœpítque perſequi clerum in odium Papæ, quod ei non ceßit in bonum. Cum enim in præfata S. Andreæ vigilia, cum vxore, filijs & familia lætus & ſanus eßet, in ipſa nocte ſubitanee & excommunicatus mortuus inuentus eſt. Hæc Trithemius; aliter Bzouius; nam contemptorem Eccleſiaſticæ poteſtatis fuiſſe Trithemius non dicit, vt taceam à *Bzo*uio etiam lætitiam Ottonis auctam eſſe, nam vbi ait Trithemius Ottonem cum familia eo veſpero fuiſſe lætum & ſanũ, conſueto more loquitur: Bzouius autem ſcribit Ottonem ingenti lætitia oblectatum fuiſſe, ac ſi iſta immodica lætitia etiam in partem vindictæ *Bzouianæ* veniſſet.

Sed quid à nobis hoc loco poſcit *Bzouius*? exigítne vt ei credamus hoc anno è viuis exceſſiſſe Ottonem Ducem? credamus ipſius cauſa. ſed non credemus ei quod alibi dicit. Anno Chriſti 1253. N. 11. hæc ſcribit, *Hoc anno Otto Dux Bauariæ, iuſta Dei vindicta morte inſperata interiit, duobus filiis Ludouico & Henrico derelictis. Fuerat is ab Innocentio Pontifice diris deuotus, eo quod Friderico contra Eccleſiam adhæſiſſet. Ab hac curatoria medicina necquicquam melior factus, cœpit Clerum perſequi, & mala malis adiicere. Conabatur illum Fr. Berchtoldus Lansuten. Ord. Prædicatorum concionator qua pollebat authoritate, ad obedientiam Eccleſiæ reducere,*

Subitanea mors Ottonis Bauariæ Ducis quod adhæſiſſet Friderico. II.

ducere, & erga Eccleſiam atq; Clerum mitigare. At ille & monitorem contempſit, & ſeueritatem diuinam contra ſe prouocauit, quanquam non ſine præmonitione diuina, ſi fortè exaudiret. Quidam enim pauperculus, nocte circa feſtum S. Michaelis, per raptum aſpexit ſe ductum ad tribunal iudicis cuiuſdam, ibidémq; audiuit & vidit, quia ad querimoniam ſanctorum, ſententia mortis data eſſet in Ottonē & ceteros Principes pacis & Eccleſiarum ac pauperum turbatores. Aſſerebat pariter ſibi à ſanctis ex parte Dei fuiſſe iniunctum, ſúbque pœna mortis præceptum, vt hæc Ottoni, & aliis Principibus, vel ſi eos adire non permitteretur, aliis renunciaret. Cùm non admitteretur, Fratri Berchtoldo, & aliquot Abbatibus ea quæ vidit aperuit: Otto autem, viſionem & monitiones ſuo malo riſit. Nam in vigilia S. Andreæ Apoſtoli cum veſpertinum tempus cum vxore & familiaribus valde iucunde exegiſſet, præſentem vitam ſubitanea morte finiuit. Chronic. Hirſaug.

Itaq; Bauariæ dux Otto mortuus eſt primum anno 1245. & mortuus eſt ſecundum anno domini 1253. bis igitur etiam vixit ſub Bzouio taumaturgo. Quot miranda patrat Bzouius? quot mortuos ſuſcitat?

Deinde falſum eſt in Chronico Hirſaugienſi legi Ottonem hoc anno deceſſiſſe.

Tertio raptum & viſionem illius pauperculi

Tri-

Trithemius non denarrat, & tamen nullum authorem huius hiſtoriæ nominat Bzouius præter chronicon Trithemij, in quo tam diu quæſiui donec nihil inueni.

§. 3. Anno Chriſti 1253. N. 11. annal. hæc Bzouius chartis mandat, *Conabatur illum* Ottonem Ducem Bauariæ *Frater Berchtoldus Lansuten.* (Landshutenſis credo volebat Bzouius dicere) *Ordinis Prædicatorum concionator qua pollebat authoritate, ad obedientiam Eccleſiæ reducere, & erga Eccleſiam atque Clerum mitigare.* Illuſtri huic monacho Franciſcano, cucullum ſui ordinis iniicit *B*zouius, & ornat ſe alienis plumis. Quem authorem habet, hunc tantæ authoritatis *B*erchtoldum fuiſſe Dominicanum? nullum certè promit, neque ego quem promam inuenio; imò verò inuenio qui Franciſcanum fuiſſe trãdant, inter quos eſt ipſe *B*zouius contra *B*zouium hoc ipſo anno N. 8. ita vt intra mediam horam ſuæ ſcriptionis oblitus ſit, & quidem cum omni miraculo memoriæ ſuæ. *Per hæc tempora,* ait, *in ordine D. Franciſci, aliqui viri inſignes floruerunt. Fr. Bertholdum Ratiſpon aiunt, inſignem fuiſſe diuini verbi præconem: quo ſemel verbum Dei ad populum concionante, & contra vitium luxuriæ vehementius inuehente, mulier quædam proſtituta tantum dolorem peccatorum concepit, vt præ contritione ſpiritum exhalarit. Ibi omnibus ad rei noui-*

Viri ſancti ex ord. D. Franciſc. Anton. tit. 24. c. 9

nouitatem obſtupeſcentibus, & iuſto Dei iudicio condemnatam eſſe dicentibus, Bertholdus vniuerſis, vt in oratione ſe proſternerent, & diuinam voluntatem circa ſtatum mulieris explorarent, præcepit. Mirum viſu. Ea quæ obierat ſtatim reuixit: & ſe ad diuinum iudicium propter facinora euocatam, propter magnitudinem autem pœnitentiæ vt ea confiteri ritè poſſet, ad corpus reuocatam dixit. Hæc Bzouius qui fortaſſe dicet ſe alium Bertholdum ſui Ordinis intelligere: & ego quoque dico Bzouium alium Bertholdum facere; quia hoc tempore nullus fuit huius nominis Dominicanus in authoritate apud Ottonem Ducem: Berchtoldus autem Franciſcanus fuit. Incidamus tibi iugulum nouacula ex chronico Schirenſi petita. Año Chriſti M. CC. LIII. legimus, *Vilis homuncio, conditione agricolà grauiore ſomno oppreſſus, quarto Calendas Octobris Deũ Opt. Max. pro tribunali ſedentem, videre viſus eſt, & (accuſatoribus Diuis) ſubitariæ mortis ſententiam ferentem in Romanum Pontificem, Ottonem Ducem Boiariæ, ceteróſque Principes, qui pacem turbarent, inſontes opprimerent, quos tutari deberent, innumeris calamitatibus afficerent. Hunc viſum, Ottoni relaturus, Landeshutam homo venit, ſed à conſpectu Principis prohibitus, quibuſdam rem præſulibus enarrat: & potiſsimum Berichtoldo Diui Franciſci ſacerdoti, eius tempeſtatis viro ſanctiſsimo, concionatoriq; omnium*

clariſſimo (oſtenditur ipſius ſepulchrum Ratiſponæ) Berichtoldus aditum ad Ottonem impetrat, factum imminens aperit, ac vt reſipiſcat commonefacit. Sed vt ſunt animi, auréſque principum delicatæ (veritatem audire nō poſſunt) ſurdo fabula narrabatur, verbáque fiebant mortuo. Exitus tamen probauit haut vana fuiſſe ſomnia. Nam eodem anno, Otto Dux Boiariæ tertium diem antè Calendas Decembris cum vxore ac liberis hilarem cœnam ſumit, noctu ſubito expirat, Schiræ ſepelitur. Conradus quoq; Cæſar eodē anno ſubacta Campania ex hac vita migrat. Itidem Innocentius Quartus Pont. Max. poſt mortem Conradi Quarti Cæſaris ſubacta Campania, Apulia, ſpe potiundæ Siciliæ fruſtratur, ſeptimo Idus Decembris inuitam exhalat animam.

Iam noſti *Bzoui*, quis iſte Berchtoldus fuerit, qui Principi extremos terrores nunciauit. Franciſcanus fuit, Franciſcanus non Dominicanus.

Sed quid tu mi vir viſum hoc de ſolo Ottone commemoras, quaſi ira Dei ſoli illi ſubitā mortem præſignificaſſet, & tamen in eodem codice chronici Auguſtenſis, vbi Ottonē reperiſti, reperire poteras & alios pacis in Eccleſia turbatores, in quos ferrum Dei diſtrictum pendebat. Ita refert Chronicon Auguſtenſe, ſiue potius eius auctor Matthæus Mareſchalcus de Pappenhaim &c. fol. 377. *Eodem tempore* anno nimirum M. CC. LIII. *menſe Nouembri famo-*

famoſus ille prædicator frater Berchtoldus in Landshut prædicationis officium exercebat & morabatur in caſtro cum Duce prædicto Ottone *cupiens eum inducere ad obedientiam Eccleſiæ, & ſuum erga Eccleſias & clerum animum mitigare. Tunc ſuperuenit quidã pauper ruſticellus, aſſerens ſe in nocte præterita feſtum Michaelis raptum & ductum ad tribunal iudicis cuiuſdã, vbi audiuiſſet, & vidiſſet, quod ad querimoniã ſanctorum ſententia mortis data eſſet in* Ottonẽ *Ducem, & cæteros Principes pacis turbatores & Eccleſiarum ac pauperũ vaſtatores. Aſſerebat etiã quod ſub pœna mortis à ſanctis ex parte* Dei *ſibi eſſet iniũctum, vt hæc* Duci *& aliis Principibus nunciare deberet, quod ſi nõ admitteretur, deberet aliis propalare. Is igitur homulus, cùm non fuiſſet admiſſus ad præſentiam Ducis, prædicto fratri Berchtoldo & aliis quibuſdam talia propalauit. Sed & ſexto die ante obitum ducis, idem homo venit ad monaſterium Altahenſe, & dixit H. Abbati & Alberto Abbati de Metem ex parte illius iudicis, quod cum non admitterent talia manifeſtare dicti Abbates, cũ Heinrico Abbate de Eberſperg deberent intimare Duci prænotato, quod niſi citius monetam nouam deſtrueret, & reſipiſceret à vexatione pauperum & Eccleſiarum, mortis eſſet in breui ſententiam ſubiturus. Cuius viſionis efficaciam ſæpe dictus* Dux, *Innocentius Papa, Chunradus Rex, & alij Principes per mortẽ inſperatã tunc (proh dolor) ſunt experti.*

Digitized by Google

En Bzoui & ex hoc & ex ſuperiore Schirenſis Chronici teſtimonio ſpeciem huic pauperculo obiectam etiam ad Pontificem & Conradum regem & alios Principes non ad ſolum Ottonē pertinuiſſe; tu autem ex mero in Bauaros amore ſolum Ottonem in theatrum inducis, vt eum tanquam virum impium & ſolum violatę pacis reum populo ſpectandum exhibeas. Sed tu cur ceteros omitteres, ſine dubio cauſas habuiſti; atqui etiam cauſas habere deberes, vt Bauaris bene velles.

Sanctitas Cōradi Bauariæ Ducis, Cardin. & Epiſcop. Portuenſis.

§. 4. Anno Chriſti 1222. N. 5. Annal. Tom. 13. Bzouius inquit, *In eam rem hoc ipſo anno miſit* Honorius Pontifex *in Galliam & Germaniam, cum plena legati à latere poteſtate, Conradum Henrici Bauariæ Ducis filium, Epiſcopum Cardinalem Portuenſem, olim Monachum & Abbatem Ciſtertienſem, virum doctrina & ſanctitatis laude inſignem.*

Bauaria Bzouio ſalutem dicit, agitque gratias, quod ei alienum decus aſſerat, & ſuis ſæpe ſpoliet. Non fuit hic Conradus Henrici Bauariæ Ducis filius, Bzoui. Quanta cura & quam diligentibus oculis libros authorum decurris? Citas numero proximè ſequenti Ciaconium: accipio virum, ſed contra te eum armis induo. Attende, in Honorio III. ad ſecundam Cardinalium creationē pag. 544. ita infit, *F. Conradus Eginonis de Vrach Suitonum dynaſtæ filius, monachus & Abbas Ordinis Ciſtertienſis,*

ſis, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis & S. Rufinæ: is Bertoldi Zaringiæ Ducis fratris Eginonis filius, cum fratre Bertoldo olim obſes à patruo datus eſt Philippo Sueuorum Duci; Cæſari deſignato, quo mortuo ambo fratres voti rei quod monachiſmum in captiuitate poſiti, ſi liberarentur, vouerant, Conradus quidem Monachus Ciſtertienſis, Rodulphus vero Abbas in Luzirach facti ſunt. Conradus autem biennio poſt adeptum Epiſcopatum Apoſtolicæ ſedis legatus ſumma cum poteſtate in Gallias contra Albigenſes miſſus, id munus etiam in Hiſpania & Germania pro terræ ſanctæ præſidio continuauit, cui Pontifex iniunxit, vt Cruceſignatos ad ſacram militiam excitaret, & prædicatores qui ad ſacrum bellum omnes hortarentur inſtitueret, quorum vnus eximius habitus eſt Joannes Argotoraſenſis, Ordinis Prædicatorum. Cæterum à Capitulo Bizuntino electus archiepiſcopus, Papa eum honorem illum recipere prohibuit, qui neceſſarius vniuerſali Eccleſiæ erat. Sub Gregorio IX. *legationẽ Germanicam continuauit, quem Pontifex virum honeſtate morum, literarum ſcientia & generis nobilitate præclarum vocat. Obiit verò anno Domini 1234.*

I. Bzoui, & cum aliis, quàm cum tuis authoribus pugna; Zaringiæ ac Bauariæ duces & genere & terris diſſidebant.

§. 5. Anno Chriſti 1253. N. 2. tom. 13. ait Bzouius, *Moriturus* Conradus Friderici II. filius *Conra-*

Digitized by Google

dinum filium triennem, quem ex Margarita Ducis Auſtriæ Leopoldi filia ſuſceperat hæredem, regníque ſucceſſorem reliquit. Cuperem admodum intelligere mi Bzoui, vnde hauſeris in torum maritalem inductam ab Conrado Margaritam Auſtriacam! Cuſpinianus Auſtriacorum ſcriptor in Cæſaribus iſta ſcribit, *Habuit autem Chunradus vxorem Elizabetham Ottonis Ducis Bauariæ filiam ex qua Conradinum* (ſic enim legendum eſt, non *Chunradum* vt ex verbis inſequentibus Cuſpiniani liquet) *filium genuit, quem reliquit poſt ſe hæredem regnorum Siciliæ & Hieroſolymæ: qui tum cum matre paruulus in Bauaria degebat, ſub morte patris. Sed hæc vidua, ſoror Ludouici & Hērici ducū Bauariæ, pòſt nupſit Meinhardo comiti Goriciæ.* Nauclerus item anno 1252. hæc ſcribit. *Fuit Conradinus Conradi filius ex filia Ducis Bauariæ genitus.* Neque id Æmilius Italus Pag. 631. p. m. ignorauit, nam diſertè ſcribit, *Conradus relicto domi Conradino filio puero vxoréque Bauari Ducis filia Italiam repetit; diéq; ſuo, an (quæ ſuſpicio tenuit) veneno abſumptus eſt, moriens hæredem abſentem filium ſcripſit, tutoribus inſtitutis proceribus Bauaris quos ſecum duxerat: quod hi & puero & matri ſuæ gentis fideles futuri erant* &c. Horum auctorum verba *Bzoui*, cum à tuis diſſideant, iudica tu ipſe, tibíne an illis fides habenda ſit. Si illis, tu falſum ſcripſiſti: ſi tibi, alibi in tuam offenſam incurram, quod aſſentiri

ſentiri detrectem. Tom. 13. Annal. Anno Chriſti 1251. N. 2. ita ſcribebas, *Principibus verò Imperij, & Regni Romanorum præcepit, vt repudiato Conrado Friderici filio Guillelmum legitimè electum ſequerentur. Sciuit iſtud Conradus, & vt erat feroculus, in Pontificis & Guillelmi ſequaces arma conuertit: rebúſque in Sicilia atque Apulia, vt poterat, compoſitis in Bauariam reuertit, Henrici ſoceri auxilia poſtulaturus.* Hem Bzoui, Cōradus Margaritam Leopoldi Ducis Auſtriæ filiam vxorem duxit, & tamen ſocer eius fuit Dux Bauariæ Henricus. Neque eſt quod eum primò Bauaram, poſtea Auſtriacam duxiſſe dicas, id enim & Cuſpiniano & Æmilio aduerſatur.

Sed heus tu ſodes, quis iſte Henricus Dux *Ba*uariæ ſocer Conradi, ad quem Conradus Friderici Imp. filius auxilij quærendi cauſa ex Apulia profectus eſt anno Domini 1251? Iam ex Cuſpiniano didicimus Conradi ſocerum Ottonem, Henricum verò affinem fuiſſe, quod de Henrico etiam Trithemius anno 1245. & Nauclerus 1251. confirmāt. Vis etiam tua te auctoritate obruam? Habenas tum Boicæ moderabatur ex tua ſententia Otto, quem tu poſtmodum anno Domini 1253. N. 11. iuſta Dei vindicta interiiſſe ſcribis. Fuerant quidem huic Ottoni duo filij Ludouicus & Henricus, ſed neuter horum ea tempeſtate, ex *Bz*ouij ſententia, imperi-

peritabat; nam defunćto demum patre in curas Ducatus ſucceſſerunt, *Reliquit autem,* inquit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi Anno 1245. *filios duos Ludouicum & Henricum qui principatum eius per decennium fraterna communitate rexerunt. Poſt annos autem decem, hoc eſt anno dominicæ Natiuitatis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto, principatum inter ſe diuiſerunt. Ludouicus qui maior natu erat, comitatum Palatij Rheni, cum terris & dominiis certis in Bauaria ſuperiori pro ſua portione legitima accepit. Henricus autem Landshutam cum Bauaria inferiori in poſſeſſionem iure obtinuit.* Otto igitur, non Henricus anno 1251. rerum viriúmque potens erat, vti ſuppetias Conrado ferre poſſet: vt taceam etiam Henricum fuiſſe fortaſſe iuniorem vxore Conradi, cuius tu eum ſocerum conſtituis. Lepidum certè foret, ſi ſocer generi vxore iunior eſſet, & filia patrem ætate ſuperaret.

Res imperii curat & Ottoni fauet præ Philippo.

§. 6. Anno Chriſti 1199. N. 22. Annal. tom. 13. ait Bzouius, *Non minore ardore res Jmperij curauit* Innocentius III. *& pro Pontificia dignitate iuxta ac auctoritate tuenda laborauit. Quod enim ſciret, Ottonem Regem Romanorum in diſcordia contra Philippum Sueuiæ Ducem electum fuiſſe, Conrado Sueuo Germano Archiepiſcopo Moguntino S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali Epiſcopo Sabino ſcripſit, vt quid in eo electionis negotio actum eſſet quamcitius ſignificaret.*

Scri-

Scripſit & vniuerſis tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus Alemaniæ Principibus, vt concordiam & pacem totius Imperij prouiderent, & à ſede Apoſtolica auxilia expectarent. Hæc Bzouius, quem ad lib. 5. Mogunt. rerum Nicolai Serarij ablego, vbi in Conrado primo hæc leget, *Conradus frater Ottonis Palatini, Comes de Wittelſpach, ab Friderico Imperatore* electus fuit. *Succeſsit poſthac, ait Chriſtiani narratio, Dominus Conradus Imperatoris conſanguineus, de Bauaria oriundus.* Hæc ibi. Porrò Chriſtianus ille quē citat Serarius, ab alijs dicitur Conradus Epiſcopus, ſed perperam, vt idem Serarius pag. 840. ante m. & 841. ante m. demonſtrat, docétque t fuiſſe Archiepiſcopum Moguntinum anno 1250. adeóque ætate proximum Conrado illi Bauaro. Citatur & à Baronio tom. 12. an. 1160. pag. 383. v. 3. de eiuſdem Conradi Bauari electione. Ita Bzouius huius Conradi nec patrem nec matrem nouit, tamen illi Sueuus eſt. *Pag. 321. p. m.*

§. 7. Tomo 13. annal. anno Chriſti 1208. ita loquitur Bzouius, *Inducijs inter Ottonem Regem Roman. & Philippum Sueuiæ Ducem pactis, Otto comes Palatinus Rheni Dux Bauariæ, Philippum aperta vena valetudinem curantem interemit.* *Vrſperg. in chron.*

Duplex error in paucis verbis. Vrſpergenſis quem teſtem Bzouius laudat, Othonem Palati-

num quidem vocat, ſed non Rheni, neque etiam Ducem Bauariæ: & ſolet Bzouius citare auctores, qui non dicunt, quod dicit. Nihil ad Ottonem iſtum comitatus Palatinus Rheni, quippe qui aliquot tandem annis poſt defunctum hunc Ottonem ad Boios Duces Ottonis Wittelſpachij poſteros peruenerit.

SYLLABVS ERRORVM IN HISPANIA COMMISSORVM.

Capvt IV.

VEniæ locus eſt Bzouio, ſi in Hiſpaniis velut erro vagetur; nimis multæ terræ inter has & Poloniam quæ illi patria eſt interiacent: nec habet ille tam valentes & emiſſitios oculos, vt tam procul aciem figant; quanquam plus in Hiſpania videt, quàm ipſimet Hiſpani; & debet illi non parum gens illa noui orbis domina, quod ignotos ipſi theſauros patefaciat.

§. 1. Anno Chriſti 44. N. 1. hæc coram tam docto ſeculo promit, *Veriſimile eſt, quod Iacobus quanquam Hieroſolymorum Epiſcopus tunc Hiſpanias adierit, fidei myſteria docuerit, Eccleſiámque aliquam*

quam Cæſarauguſtæ Virginis Matris nomine eius monitu indidem condiderit. Hæc *Bzouius*, an ſatis ſanè? & planè crederem præpropero ſcribendi pruritu lapſum, niſi ipſemet mirificus ſcriptor gemino argumento probaret, quod dicit, *Nam & Petrus*, ait, *quanquam Antiochenus tunc Epiſcopus pertranſibat vniuerſos: & tum multi ex Patribus, tum traditiones Eccleſiarum teſtantur Iacobum Alphæi lumine Euangelij aliquam Hiſpaniarum partem illuſtraſſe.* Hæc Bzouius, vt auertat argumentum, quod quis obiicere poſſet, quomodo Iacobus Alphæi, qui Hieroſolymorum Epiſcopus fuit, potuerit Heſperios penetrare ſinus, Pactoliq; fontes, deſerta ſuâ Eccleſia: ſicut, ait, Petrus etiam fuit Epiſcopus Antiochenus, & tamen vniuerſos pertranſibat, ita & Iacobus Alphæi etiam Hiſpaniam luſtrauit, eſto fuerit etiam Hieroſolymorum Epiſcopus: ſed & Patres teſtantur hunc Iacobum Alphæi in Hiſpaniis Chriſtianæ religionis fundamenta iecisſe. Qui Patres? qui Patres, oro te? video te in ora chartæ adlinere Iſidorum, Bedam, Calixtum 2. Turpinum, Breuiarium Tolet. omnes Eccleſias Hiſpaniarum; ſed ſcire debes neminem ex his teſtari de Iacobo Alphæi, ſed de Iacobo Maiore, ſeu Zebedæi, & cœcus fuiſti cum euoluiſti hos tuos Patres, inter quos locum habere Turpinum tibi planè turpe eſt; quid cenſes? an ille portentoſiſſimarum fabula-

bularum parens Turpinus inter Patres ſedeat, & pariter in ſenatu ſententiam dicat?

§. 2. Anno Chriſti 44. N. 1. ſcribit Bzouius, *Hunc itaque* Iacobum Alphæi *ex Hiſpaniis reducem comprehendit Herodes & gladio percuſſit.* Scilicet Bzoui Iacobum Alphęi Herodes gladio percuſſit. Hîc opus tibi non erat Toletanum ex Hiſpania Breuiarium in teſtimonium vocare; vel in Romano inueniſſes, Iacobũ Zebedæi non Alphæi ab Herode cæſum. Sed mẽs tua planè à ſeſe diſceſſit, & tu te ipſum ſupra confutas, cum ſcribis eodem anno & N. ab Herode ad necem deſignatum Petrum & Iacobum: *Erat*, inquis *Iacobus, non quidem ille Alphæi, qui dictus frater Domini, Hieroſolymorum fuit Epiſcopus, ſed frater Ioannis filius Zebedæi, vitæ ſanctitate, rerum geſtarum gloria, & propagatione fidei cum in Paleſtinâ, tum alibi locorum longè clariſſimus.* En mi Bzoui, vt te ipſum in caſſes cogas: hoc vel illud loquaris, Iacobi te ſupplantant.

Anaſtaſ. §. 3. Anno 816. N. 4. ait Bzouius, *Eodem anno Prid. Id. Iun. Leo P. ex hac vita migrauit. Eius tempore, corpus S. Iacobi Ap. multis indicibus ignis ſupernè delabentis oſtenſum repertũ eſt Compoſtellæ Alfonſo Caſto regnante. Ouetenſis quoq; Eccl. in Hiſpaniis, Archiepiſcopalẽ dignitatem obtinuit.* Hæc tu adſcribis Anaſtaſio, in quo ego nihil ſimile reperi, ſed tu in eo vidiſti, quæ nec aperti oculi purgatiq; videre poſſunt:

poſsũt: & tu ipſe me mones alibi, vt hic tibi nõ credam; nam anno Chriſti 876.N.6.ex Mariana (cum quo ferme Vaſæus ſentit) ſic loqueris, *Hoc anno Alfonſus Rex Galaciarum, ad Ioannem Pontificem, Legatos deſtinauit, Seuerum & Deſiderium presbyteros, ac Raynaldum. Poſtulabat, vt eius auctoritate Epiſcopi ad Conciliũ cogerentur, quorum poteſtate & Compoſtellanum templum recens Diuo Iacobo Apoſtolo ab eo ædificatum ſacraretur, & Ouetenſis Eccleſia Metropolitana diceretur, & diſciplina Eccleſiaſtica ſanciretur. Omnia facile Ioannes Romanus Pontifex conceſsit, & tã Epiſcopis, Abbatibus & orthodoxis Chriſtianis, quàm Regi Aldefonſo ſcripſit; vt Epiſcopi Hiſpaniæ, Eccleſiam beati Iacobi Apoſtoli conſecrarent, & cum Rege pariter Concilium celebrarent; cum etiam ipſe auctoritate Apoſtolica Eccleſiam Ouetenſem Metropolitanam conſtituiſſet.*

Bella narratio; Ouetenſis Eccleſia anno Chriſti minimum 816. Archiepiſcopalem dignitatem obtinuit, Alphonſo Caſto regnante, & anno demum 876. Alphonſus Magnus à Pontifice poſtulauit, vt in hanc dignitatem eueheretur; ita ſexaginta annis poſt poſtulatum fuit, vt fieret, quod ante ſexaginta annos factum fuerat.

Sed res longè ſecus accidit, & quæ fuêre diuerſa Bzouius eadem facit. nam Ouetenſis Eccleſia Alfonſo Caſto regnante Epiſcopalem, Alfonſo demũ

Magno rege Archiepiſcopalem dignitatem obtinuit auctore Roderico Toletano 4. rer. Hiſpan. 8. 17. & 18. Rara tamen felicitate Bzouius hoc loco ſocium erroris Baronium habet, qui & ipſe t. 9. an. 816. N. 53. f. ita ſcribit, *Vt autẽ ad res geſtas eiuſdem Leonis Pontificis redeamus, Tudenſis ſicut & Rudericus eſt auctor, obtinuiſſe eundem, qui ſupra, Alfonſum Regem ab eodem Leone Pontifice, vt Ouetenſis Eccleſia, quam ipſe tot religionis monumentis illuſtrauit, Archiepiſcopatu inſigniretur.* Decimo deinde tomo an. 882. N. 4. hæc affert, *In his igitur Ioannes Papa conſtitutus anguſtiis preſſúsque moleſtiis, occaſione legationis ab Hiſpania ad ſe miſſa à Rege Aldefonſo Magno & ab Epiſcopis ſub eius Regno conſtitutis, redditis ad Regem literis, ab eodem equos mitti petiit aduerſus Sarracenos ingruentes armandos, vt ex litteris ad eũdem regem ab eo miſſis apparet. Quod autem in primis ad eam legationem ſpectat, tria ſunt quæ tum Epiſcopi, tum Rex ab eodem Pontifice petiere. Primò nimirum, vt conſecrandi Eccleſiam Compoſtellanam, ab eodem rege magna impenſa auguſtiſſimè conſtructam, licentia daretur. Secundò vt Ouetenſis Eccleſia dignitate Archiepiſcopatus donaretur. Tertiò verò, vt congregandi prouinciale concilium facultas concederetur. Qui autem hac ſunt functi legatione, fuerunt duo presbyteri Seuerus & Deſiderius, qui Sidericus à Sampyro vetere ſcriptore deprauatè le-*

Digitized by Google

te legitur. His igitur redeuntibus idem Ioannes Pontifex, cum ſuis literis Arnaldum coniunxit Legatum ſuum. Hæc autem omnia ex ipſius Ioannis Papæ literis perſpecta habentur, quæ ab eodem auctore poſitæ ita leguntur.

Joannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Aldefonſo Regi Chriſtianiſsimo, ſeu cunctis venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus vel Orthodoxis Chriſtianis.

Qui igitur in cura nos totius Chriſtianitatis beati Petri Apoſtolorum Principis ſempiterna prouidentia ſucceſſores ea Domini noſtri Ieſu Chriſti conſtringimur adhortatione, qua beatum Petrum Apoſtolum monuit, dicens quadam voce: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, & reliqua. Hinc rurſus imminente Domini noſtri articulo glorioſæ paßionis, inquit; Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ideóque quia veſtræ notitiæ fama per hos fratres Limina Apoſtolorum luſtrantes, per Seuerum & Deſiderium presbyteros nobis miro odore bonitatis eſt reuelata, paterna vos adhortatione commoneo, in cœptis bonis operibus, gratia duce perſeuerare, quatenus copioſa vos beati Petri protectoris veſtri & noſtra protegat benedictio. Et quotieſcunque, filij chariſsimi, ad nos venire quilibet veſtrum, aut transmittere voluerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de vltimis Gallæ-

ciæ finibus, cui vos præter me, Dominus rectores conſtituit tanquam iure filios noſtros, vos colligimus. Et Eccleſia Ouetenſis, quam veſtro conſenſu & aßidua petitione Metropolitanam conſtituimus, omnes vos ſubditos eſſe mandamus. Et concedimus etiam prædictæ ſedi, vt ea quæ Reges ſeu Fideles iuſtè obtulerunt, vel in futurum, Domino opitulante, contulerint; rata, firma, & inconcuſſa manere in perpetuum præcipimus. Hos quoq; latores litterarum noſtrarum omnes hortor vt habeatis commendatos. Bene valete.

Hæc Baronius loco poſteriore, immemor prioris, cum nec moneat nec expediat dubitationem, vtrum & qua occaſione eadem Ouetenſis Eccleſia bis Archiepiſcopatus honore fuerit inſignita. Sed priore loco lapſus eſt cum Rudericum (quem alij Rodericum dicunt) teſtem laudat. Hæc enim ſunt c. 8. Roderici verba, Aldefonſus Caſtus *cum multis virtutibus emicaret, palatia regia pulchro & forti opere conſtruxit Oueti. Fundauit etiam Eccleſiam cathedralem, & maius altare in honorem ſancti Saluatoris, & altaria duodecim apoſtolorum cum ſuis titulis eleuauit, eccleſiámq; ſanctæ Mariæ iuxta baſilicam ſancti Thyrſi ex lapidibus & columnis marmoreis, argento & auro cum regali palatio adornauit, & Gotthorum gloriam tã in eccleſiis, quàm in palatiis, vt olim Toleti fulſerat, prout potuit, reparauit.*

Ac ne dubites de Ouetenſi Eccleſia ſermonem eſſe,

Digitized by Google

eſſe, ad marginem ipſe Rodericus vel alius rerum Hiſpanicarum gnarus adnotauit hæc verba, *Templorum inſtauratio Oueti.* Iam verò cap. 17. recitat Iohannis ad Aldefonſum epiſtolam paulò antè ex Baronio à nobis allatam; & caput 18. inſcribit, *De ſublimatione Ouetenſis vrbis in metropolim*; & poſt multa hanc adnectit clauſulam, *Rex vna cum vxore & filiis, Epiſcopis, Comitibus & magnatibus autoritate domini Papæ Ioannis Ouetum ad celebrandum concilium conuenerunt, in quo cum vniuerſali conuenientia ciuitas Ouetenſis dignitate metropolitica inſignitur, & Hermegildus in archiepiſcopum ſublimatur, quia Hiſpania captiuatis quinque ſedibus metropoliticis, ſilebat officio metropolitico deſtituta. Incurſantium enim hoſtilitate fugati, intra Aſturiarum anguſtias Prælati qui gladium effugerant, confugerunt, & vt tanta anguſtia tolerabat, antiqua Toletani concilij inſtituta ſollicitè contuentes, Ouetenſem eccleſiam & cæteras quibus iam vt metropolis præminebat, ordinabant, iuxta canonum ſanctiones. Multíſque ſecúndum Deum vtiliter ordinatis, ſoluto concilio ad propria redierunt.* Hæc Rodericus.

Eadem haud dubiè Tudenſis refert, qui teſte Poſſeuino in Apparatu ſacro V. Tudenſis in lucem editus non eſt, ſed eum mſ[m]. habuit Baronius, & t. 9. an. 812. N. 18. ante m. vt & Rodericum, antiquioribus rerum Hiſpanicarum ſcriptoribus ad-

numerat. Nec mirum eſt in multis ſemel erraſſe Baronium; hoc mirum eſt, in paucis multa committi errata à Bzouio. Vtrum verò res geſta ſit anno 876. vt Mariana refert, an. 882. vt Baronius vult, examinare non libet, præſertim cum Baronius contra morem ſuum non demonſtret, anno 882. geſtam fuiſſe. nam epiſtola Iohannis Papæ quam affert, caret indice temporis, & annus 882. fuit eiuſdem Iohaňis PP. vltimus: vnde videri Baronius poſſet rem more etiã ſuo ad incertum Põtificatus eius annũ referre, niſi palam affirmaret, eã illo ipſo anno 882. fuiſſe geſtam, ſed quo indicio, non apparet.

§. 4. Anno Chriſti 1123. N. 1. ſcribit Bzouius, *Calliſtus Papa Godefredum Principem Caſſinenſibus monachis iniurium anathemate vſque ad ſatisfactionem damnauit, Compoſtellanam Eccleſiam Metropolitanæ honore exornauit.* Quis fidem abnegaret Bzouio hoc anno Compoſtellanam Eccleſiã Metropolitanæ iure ornatam narranti? nemo ſuccenſeat, ſi quis faciat; ipſe Bzouius facit; nam anno ſequenti N. 5. hæc prodit, *Hoc etiam tempore Compoſtellana Eccleſia metropolitano iure & maieſtate aucta eſt Calixto Pontifice concedente. Mariana libro decimo, capite duodecimo.* Hoc nempe eſt annales ſcribere, hoc eſt res quaſque ſuis annis conſignare; quanquam conſilij eſt nonnunquam duos annos rei vni attribuere, vt ſi in vno vitium ſit, in altero ſaltem non erretur.

Chron. Caſſin. & Tab. marmorea.

Sed

Sed ne lectorem in incerto deſtituamus, néue quis putet Compoſtellanæ Eccleſiæ metropoliticum ius anno 1123. collatum & ſequente auctum ſiue ampliatum: ſciendum eſt, Compoſtellam anno demum 1224. metropolim fuiſſe conſtitutam, auctore Roderico Toletano Archiepiſcopo cuius hæc ſunt in magno illo Lateranenſi concilio ſub Innocentio III. aduerſus Compoſtellanum Archiepiſcopum verba, *Si antiquitatem Compoſtellanæ Eccleſiæ pro te facere exiſtimas; antiquitas iſta centum & nouem annorum ſpacio continetur, quòd ſic perſuadeo: Dominus Calliſtus Papa ad inſtantiã Principis & populorum Hiſpaniæ Metropoliticum ius antiquæ & celeberrimæ ciuitatis Emeritenſis Compoſtellam tranſtulit, anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimo quarto; tum quia ciuitas Emeritenſis erat ſub dominio Saracenorum cõnſtituta; tum quia peregrinantium deuotio ob reuerentiam B. Iacobi, cuius corpus ibidem creditur eſſe ſepultum, in melius ſemper creſceret: nam vſque ad hæc tempora Oratorium quoddam admodum paruum erat locus ille, in quo nunc ſita eſt Compoſtellana Eccleſia.* *Apud Baron. t. 9. an. 816. N. L*

Eundem Compoſtellani Archiepiſcopatus inſtituti annum ſignat Mariana, & ex hoc Bzouius: qui tamen rurſus eo felix eſt, quod cum Baronio eiuſdẽ Archiepiſcopatus initium año etiam 1123. attribuit. Baronius hoc ipſo anno t. 12. §. 2. eundẽ

Archiepiſcopatum inſtitutum tradit, oblitus quod t. 9. eundem anno 1124. inſtitutum dixiſſet, ac deceptus fortaſſe incurioſa Marianæ, quem ibidem paulò pòſt citat, inſpectione. Mariana enim loco illo (vt & quibuſdam alijs) in margine aſcribit numerum anni finiti non cœpti, atque in contextu mox principium ſequentis anni refert his verbis,
1123. *Cum Cordubenſi Rege & decem alijs Maurorum regulis acie dimicatum anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio. victoria penes noſtros ſtetit. Proximo anno*, id eſt 1124. *Medina vi expugnata* &c. *Compoſtellana Eccleſia Metropolitano iure & maieſtate*
1124. *aucta* &c. *ipſo circiter anno milleſimo centeſimo vigeſimo quarto. Quo anno menſe Decembri* &c.

§. 5. Anno Chriſti 912. N. 8. hæc narrat Bzouius,
Ambroſ. Moral. *In Hiſpanijs Aldefonſus M. è vita diſceßit. Paulò ante obitũ, non vt Rex, ſed vt dux exercitus militans ſub rege filio, ingens modeſtiæ & animi ſubmißionis ſpecimen edens, ingenti victoria de Mauris potitus, dignus eſt à Deo habitus, qui in cælo triumpharet. Annis quadraginta ſex regnum tenuit, duobus etiam annis computatis, quibus Garſiæ filio illud renunciauit. Sed is non multò poſt Deo vindicante mortuus eſt; vt verum appareret illud ſacrum; hæreditas ad quam in*
Prou. 20. *principio feſtinatur, in fine benedictione carebit.*

Viſne, Bzoui, tibi vt hoc loco errata dicam? puto mihi fas eſſe, quia tute ipſe tibi contradicis alibi:

alibi, nempe anno 861. n. 8. vbi ſcribebas, *Hoc anno functo vita in Hiſpaniis Ordonio Gallaciæ Rege, eius filius Alfonſus cognomento Magnus, tum pietate, tum bellica fortitudine illuſtris, Regnum obtinuit, ac ſtatim theſauros paternos pauperibus & Eccleſiis diſtribuit, nec non templo Diuo Iacobo olim terreum, quadratis lapidibus ſtruxit, columnis fulciuit, & auguſtiſſimè exornauit, aliáſque multas Eccleſias fabricauit.* Hæc Bzouius, quem ad calculos traho vt ſupputet. Alphonſus M. in cælum abiit anno 912. & annis quadraginta ſex regnauit, vti priore loco à nobis allato Bzouius tradit, & tamen ſucceſſit Ordonio in regimine regni anno 861. quid cenſes? ſúntne ab 861. vſque ad 912. tantùm anni 46? iuxta meam arithmeticam inuenire licet quinquaginta & vnum. Taceo Marianam ſcribere, Alphonſum Magnum obiiſſe non 912. vti tu ais, ſed anno 911.

Sanè etiam Baronius an. 861. N. vlt. & 912. N. 16. initium regni ex Roderico, & obitum Alfonſi ex Morale, tanquam in temporum ſupputatione reliquis rerum Hiſpanarum ſcriptoribus præferendo collocat. Cum qua quidem aſſertione planè pugnat, quod Rodericus Tolet. l.4.c. 15. docet, Alfonſum regnaſſe annis 46. ideóque à Baronio pugnantia ſcribere inſueto omittitur, à Bzouio non item, quippe cui ſecum pugnare nihil noui eſt.

§. 6. Anno Chriſti 572. N. 4. ſcribit Bzouius,

Ibidem in Hiſpaniis hoc anno Leuuigildus Rex filium ſuum natu maximum, nomine Hermelgundum, qui ei in regnum ſucceſſurus fuerat, propterea quod ab Arriana perfidia, qua pater languebat, ad veram Orthodoxiam conuerſus eſſet, primò regno priuauit, deinde in conuentu Hiſpali captum in carcerem retruſit, ac tandem manibus propriis ſecuri percuſsit. Ad oſtendendam porro eius gloriam diuina miracula non defuerunt, nam ad eius corpus poſtmodum cantus angelicus fuit auditus, lampadéſq; ardentes cælitus viſæ. Eius feſtiuitas ad 6. Id. Iul. celebratur. Franciſcus Tarapha de regib. Hiſpan. Hæc hoc loco Bzouius, qui vt ſibi ſimilis ſit, eandem cædem anno Chriſti 584. N. 2. & 4. repetit, quaſi bis cæſus eſſet S. Hermenigildus. Verba poſteriora Bzouij hæc ſunt, *Hermenigildus pariter Rex, Leuuigildi Regis Wiſigothorũ filius ab Ariana hæreſi ad fidem catholicam conuerſus, à patre impio trucidatus eſt.* Et N. 4. circa finem cum Martyrium Hermenigildi deſcribit, inter cetera ait, *Superueniente autem Paſchalis feſtiuitatis die, intempeſta noctis ſilentio ad eum perfidus pater Arianum Epiſcopum miſit, vt ex eius manu ſacrilegæ communionem conſecrationis reciperet, ac per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Ariano Epiſcopo venienti exprobrauit vt debuit, eiúſq; à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etſi exterius iacebat ligatus, apud ſe tamen in*

Greg. dial. l. 3. c. 31.

magno

magno mentis culmine ſtabat ſecurus; ad ſe itaque reuerſo Epiſcopo, Arianus pater infremuit, ſtatímque ſuos apparitores miſit, qui conſtantiſſimum confeſſorem Dei illic vbi iacebat occiderent. Quod & factum eſt; nam mox vt ingreſſi ſunt, ſecurim cerebro eius infligentes vitam corporis abſtulerunt, hócque in eo valuerunt perimere, quod ipſum quoque qui peremptus eſt, in ſe conſtiterat deſpexiſſe. Hactenus *B*zouius mira & ſolita iam ante dictorum conſtantia. Supra martyrium ſubierat Hermengildus anno 572. vt Franciſcus Tarapha ſcribit; hoc loco anno 584. vt *B*aronius cum Iohanne Vaſæo (à Bzouio tamen neuter horum nominatur) tradit: vter verè aut veriſimilius, nihil ad Bzouium; qui quod diuerſitatis ſententiarum lectorem non monet, reprehendi non debet, quia extra culpam eſt, nec monere potuit cuius ipſe non meminerat. Supra pater Hermengildum manibus propriis ſecuri percuſſerat, vt Tarapha docet; hoc loco interemptus idē Martyr eſt per apparitores, vt S. Gregorius ſcribit: vter erret, ne meminit quidem Bzouius, nedum vt errorem detegat. O præclarum Baronij ſucceſſorem, qui diſcrepantia ſcriptorum dicta, tam diligenter examinat, diſcutit, enodat.

§. 7. Anno Chriſti 646. N. 4. *Quod ad Chindaſuinthum attinet, fama eſt, & antiqua monumenta declarant, cum ſtudio teneretur Hiſpania literis inſtau-*

ſtaurandæ ad Theodorum Rom. Pontif. ablegaſſe Taium Epiſcopum Cæſarauguſtanum, vt Gregorij M. commentaria, quibus librum Iob ad myſticas ſignificationes traductum eleganter explanarat, diligenter conquiſita, atque cum fide deſcripta ſecum auferret in Hiſpanias: volumina ad Leandrum, cuius nomine in lucem prodierant, miſſa (ſi vnquam tamen miſſa erãt) iniuria temporum interiiſſe: teneri maximo deſiderio Patris vtriuſque memoriam ex iis libris inſtaurandi, Catholicæ pietatis augendæ, Eccleſiaſticæ Bibliothecæ locupletandæ. Rempubl. ſuis iam nitentem viribus, parta pace, profligata impietate nulla re magis illuſtrari, quàm ſapientiæ ſtudiis & religionis puritate; rem vtramque ex libris antiquorum Patrum eruendam videri. Regiæ voluntates vehementes ſunt, neque id Romani non conſiderabant. Verùm quod in Hiſpania contigerat, Gregorij libri fere de memoria hominum exciderant. Scrinij Romani ſchedas omnes & tabularia excutere longum erat. Itaque diem ex die ducere, atque aliam ex alia moræ cauſam nectere, cum Epiſcopus quoniam parum ſpei erat hominum diligentia impetraturum ſe quod volebat, ad Deum conuerſus ardentiſſimis precibus petiit, ne tantos labores vanos eſſe pateretur, Regiſque ſui pro pietate conatus præſenti numine adiuuaret. Inter has preces integra nocte conſumpta, die proxima locum deſignauit, vbi ſcripta Gregorij aſſeruabantur. Fama tenuit, & ipſemet Taius

ius

Digitized by Google

ius literis de ea re teſtatur, ipſius D. Gregorij indicio atque monitu voti compotem fuiſſe factum. Mariana libro ſexto, capite nono. Hæc Bzouius, à quo diſcimus Taium Epiſcopum Hiſpanum hoc anno reperiſſe Gregorij libros, & quidem per miraculum.

Sed pergamus vltra, quia Bzouius pergit vltra, more ſuo. Anno Chriſti 649. N. 6. hæc habet. *Eodem anno opus Moralium D. Gregorij reuelatum eſt. Jſtud vt Romæ conquireret Taius Cæſarauguſtanus Epiſcopus à Rege Chindaſuintho miſſus in vrbem venerat, à Martino Pontifice petierat, is verò ſe non habere reſpondebat. Tandem Taius æditiuum exorauit, vt liceret ei in Baſilica Principis Apoſtolorum peruigilias noctis deducere. Indidem cum eſſet, nocte intempeſta apparuere illi duo ſeniores venerandæ caniciei, ſtipati multitudine innumerabili ſanctorum. Taium attonitum porro interrogauerunt: Ecquid vellet? & cur tam longinquum iter ex Hiſpaniis confeciſſet? Jlle auidus Gregorij Moralia nominauit; & illi extemplo ſcrinium indicarunt, in quo tomus reconditus. Quærenti qui eſſent? retulerunt alterum quidem Petrum, alterum Paulum, in medio autem Gregorium Magnum Pontificem, reliquos verò circumincedentens eſſe illos, quorum corpora Baſilicam Petri Apoſtoli exornant. Retulit ille viſionem Martino. Martinus autem ſcrinium reſerari iuſſit, libros aui-*

Extat apud Concilium Tolet. 7. in fine.

M dè

dè exoptatos reperit, deditque Taio in Hiſpaniam deferendos; ſcribens piiſsimo regi, qui per multas ſynodos cum Epiſcopis celebratas Eccleſiam erudiuit. qui libros SS. Patrum diligenter fecit perquiri, & inſtituta B. Iſidori firmiter obſeruari: quique perfidum Theodiſcum Hiſpalenſem Epiſcopum ſynodali ſententia in exilium miſit, & dignitatem primariam, quam ab antiquo habuerat, totius approbatione Concilij Toletanæ Eccleſiæ confirmauit: & cuius tempore ab omni perturbatione Hiſpania conquieuit, adeò, vt nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui arma ſumeret rebellandi.

Hactenus annalium ſcriptor pro magnitudine memoriæ ſuæ, quæ neque triennium complectitur. Supra Taius Epiſcopus Gregorij Commentarios in Iobũ reperit año 646. hìc año 649. iidem reuelãtur eidẽ Epiſcopo Taio. Supra Taius ad Theodorum Pontificẽ legatus iuerat, vt libros S. Gregorij depoſceret, hoc loco Pontificem Martinum eadem de re petendo fatigat. Prioris narrationis auctorem habet Marianam: poſterioris Concilium Toletanum VII. Sed Mariana tantùm indicat rem intra annum 641. & 649. geſtam, in Toletano autem concilio vetus extat monimentum, ex quo planè conſtat, rem non ſub Theodoro Papa, ſed ſub Martino contigiſſe, vt rectè Baronius anno 649. N. 84. contra Ambroſium (Moralem opinor) hiſtoricum adnotauit: quod Bzouius ſibi quoque &

Ma-

Digitized by Google

Marianæ Ambroſium ſecuto à nobis dictum putet, præſertim cùm & ipſe Mariana monimentis nitatur, quæ non videntur fuiſſe alia, quàm illa Toletano concilio inſerta. Quæ omnia Bzouius, vt eſt accuratus, ne verbo quidem attingenda cenſuit.

SYLLABVS ERRORVM IN GALLIA COMMISSORVM.

CAPVT V.

TRaiiciamus montes, & ex Hiſpania pergamus in Gallias, inclyta Regna & terras, vbi Bzouius in S. Germanum Antiſiodorenſem caput arietat, & cerebrum offendit.

§. 1. Anno Chriſti 429. N. 1. ita infit, *Galli primi fuere, qui Cæleſtinum monuerant, vt Britanniam à Pelagianis infectam expurgaret. Iidem cupiditate veritatis flagrantes duos ex ſuis Epiſcopos Cæleſtino obtulerant, quos mitteret ad id opus faciendum. Prior erat S. Germanus, alter S. Lupus. Vterque à ſynodo Gallicana delectus, & auctoritate Cæleſtini dimiſſus, pergebat ad craſſiſſimas illas Britanniæ nebulas diſpellendas.* Conſt. am. l. 1. c. 19. apud Sur. tom. 4.

Conſtãtius in vita l. 2. c. 1. & ſeq. apud Sur. 30. Iul.

Anno Chriſti 435. N. 3. iſta memorat, *Eodem anno S. Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, cum Elaphij viri Principis in Britannia contractum filium, ſolo manus contactu ſanaſſet, eóque miraculo & Pelagianam hæreſim proſtrauiſſet, & fidem Catholicam in cordibus Britannorum partim propagaſſet, partim roboraſſet: tum deinde Alemannorum Regem idololatram exercitui Romano grauem ferè ſolo aſpectu fregiſſet, atque à vaſtanda Armoricorum prouincia auertiſſet, & cum Aetio duce Valentini conciliaſſet, Rauennæ ab Imperatore Valentiniano, & matre Placidia, & à Petro Chryſologo Epiſcopo, atque ab vniuerſis populis ſummo honore receptus, ad cælum conſcendit.*

Itaque ex calculo Bzouij S. Germanus in Britanniam conceſſit an. 429. & inde redux in cælum abiit an. 435. Demus iſta Bzouio; ſed quod ſequitur, non dabimus, aut certè prius rurſus ei eripiemus. Anno Chriſti 489. N. 8. hanc cantilenam occinit, *Sed vt vtroque errore Britannia purgaretur, Germanus Antiſiodorenſis, & Lupus Trecenſis, multa ſanctitatis & doctrinæ celebritate Antiſtites, è Gallia, Vortimeri Regis opera acciti multos ac pios impendêre ſudores. Vortimerus primum Idolorum cultores inſectatus, aut Britannia ocyus exulare, aut diris pœnis vltima ſubire coëgit. Inde vt Britannorum Antiſtitum, ſuadente Germano, Londini conuentus indi-*

cere-

ceretur, author fuit. Tenuit diſceptatio inter Pelagianos & orthodoxæ fidei propugnatores plures dies: ſed cum Pelagiani reſiſtere non poſſent, eorúmque planè cauſam iudicarent omnes inclinatam, qui ex eis reſipiſcere contumaciter ſpreuiſſent, flammis magiſtratuũ opera aduſti ſunt, cæteri pro admiſſo delicto Pontificũ authoritate pœnis adacti, recepti ſunt in gratiam. Hector Boet. Hiſt. Scot. lib. 8.

Sed nondum eſt ineptiarum finis. Anno 515. N. 7. & 8. hunc in modum prolabitur Bzouius, *Eadem tempeſtate Conrano apud Scotos regnante, Britannorum quidam, frequenti cum Saxonibus commercio, vera relicta pietate, Ethnicis erroribus, idolorúmque ſpurcitijs fœde ſe contaminauerunt: quidam Pelagij dogma ſecuti, viuendo docendóque contribules, Chriſti religionem in Britannia, multis & doctrinis, & factis impiis euertere conati ſunt. Eò tandem dira peſtis eſt euagata, vt nonnulli ex gente, paruulos ſacro lauacro admouere palam vetuerint. Alij malè excogitatos errores, pro præcepto legéque viuendi accipientes, negarent pertinaciter, quæ ſancta affirmaret Eccleſia. Lamentari interim ſecum Chriſti ſacerdotes, contribulium mores vſque adeo inualeſcere, vt quidam ex ſynceris fidei cultoribus, vera relicta pietate, Chriſti nominis hoſtes palam efficerentur.*

Rurſus ergo B. Germanum Antiſtitem multis precibus oratum faciunt, vt Chriſti cauſam, quam

Digitized by Google

ſemel tutandam ſuſceperat, tutaretur. Nec defuit Germanus piæ petitioni, ſed adiuncto ſibi Seuero totius ſanctitatis (ut Bedæ verbis utar) viro, qui erat diſcipulus Beatiſſimi Patris Lupi Trecaſſiorum Epiſcopi, & tunc Treueris ordinatus Antiſtes gentibus primæ Germaniæ Dei verbum prædicabat, mare conſcendit: & conſentientibus elementis tranquillo nauigio Britannias petit. Hector. Boet. lib. 9. Hiſt. Scot.

Hactenus Bzouius, qui mortuum ſuum Germanum ſuſcitat, & ad lites Britannorum componendas ablegat. Quod ſi etiam S. Germanum non dicamus adhuc vita functum, ſicut Bzouius ei iam pridem exequias celebrauit, & admittamus eum hoc anno ſecundam legationem ad Britan̄os obiuiſſe, intererunt inter primam legationem eius, quam Bzouius ſuprà dixit incidiſſe in annū Domini 429. & inter hanc, quam hoc anno obiuit, anni omnino 86. nimis magna temporum interualla pro hoc legato, præſertim cum Germanus, cum primò in Britanniam abiit, puer non fuerit, ſed Epiſcopus. Quid cenſes Bzoui quot annis vixit S. Germanus?

Deinde S. Germanus Epiſcopatum non niſi 30. annos, dies 25. tenuit auctore Conſtantio, quo & Bzouius an. 429. & 435. nititur. At Bzouio auctore adminiſtraſſet annis minimum 86. Cauſa erroris, ne hanc lector ignoret, eſt hæc, Bzouius quæ ſunt

ſunt eadem, facit diuerſa. Surius duas S. Germani in Britanniam profectiones memorat, Hector duas, ſed omnino eaſdem, quas Surius. Nunc Bzouius ex his duabus profectionibus facit tres vel quatuor, nec enim ſatis declarat vtrum duas Surianas pro duabus an pro vna tantum habeat. Duarum item profectionum initia in tres vel quatuor diuerſos annos diſtribuit, cuius diſtributionis ei nec Surius nec Hector occaſionem dedit.

§. 2. Anno Chriſti 479. N. 2. rurſus ſibi ipſe Bzouius pedicas ſtruit, ſéque poſtmodum implicat. Eiuſcemodi ibi illi ſermo eſt, *Eodem anno die 19. Auguſti, magnus ille Lupus Trecenſis Eccleſiæ Epiſcopus ad cælum euolauit: cum annos quinquaginta duos ſediſſet.* Hactenus Bzouius. Sed nos apud S. Lupum alium lupum auribus tenemus, qui alio loco aliud vlulat; nam anno Chriſti 489. N. 8. refert idem Bzouius Lupum è Galliis euocatum à Vortimero Rege, *Sed vt vtroque errore*, inquit Bzouius, *Britannia purgaretur, Germanus Altiſsiodorenſis & Lupus Trecenſis, multa ſanctitatis & doctrinæ celebritate antiſtites, è Gallia Vortimeri regis opera acciti multos ac pios impendêre ſudores.* Hæc Bzouius. Ex quibus perſpicuum eſt, ipſum eſſe mirandorum patratorem, qui toties mortuos ſuſcitat. Certè S. Lupus iam decennium funus fuit, & tamen iam nauigat, diſputat, Sur. to. 4.

con-

Digitized by Google

concilio intereſt, hæreticos domat, aliáque facit, quæ Bzouius in viuis non poteſt.

Scire etiam velim vnde Bzouio de vtroque illo anno, priore obitus, poſteriore Britannicæ profectionis liqueat, cum Hector, quem ſolum auctorem laudat, de tempore nil definiat: & Baronius annum defuncti Lupi non ſignarit, adeóq; ex nullis ſcriptorum monumentis eruere potuiſſe videatur.

§. 3. In vrbe Treueri olim Galliæ nunc Germaniæ ciuitate & ſeptemuiri ſede ſuam quoque peritiam oſtendit Bzouius. Año enim Chriſti 479. N. 2. ſcribit S. Lupi diſcipulũ fuiſſe Seuerũ Treuerenſem Epiſcopum *Primæ Germaniæ gentibus prædicantem.* Anno autem Chriſti 515. N. 8. Scribit S. Germanum traieciſſe in Britanniam *adiuncto ſibi Seuero totius ſanctitatis (vt Bedæ verbis vtar) viro.* Par ratio Germani & Seueri, nam ſicut Germanus hoc tempore non vixit, ita neq; Seuerus, & ſi Germani ſocius fuit, in cælis fuit, non in Britannia. Quid ſi etiam probem Seuerum hoc tempore fuiſſe mortuum? Rurſus prodibit ex ſepulchro vnius ad Bzouij vocem. Certè adeò non peruenit Seuerus ad annum 515. vt in Annalibus Epiſcoporum Treuirenſium legamus eum fato conceſſiſſe anno Chriſti 420. Baronius ad Id. Octob. litera F. ait Seuerum claruiſſe tempore Honorij & Valentiniani.

Hono-

Honorius autem è vita exceſſit anno Chriſti 423. vt idem Baronius tradit tomo 5. annal. Igitur ſi ſub hoc Cæſare floruit, neceſſe eſt Seuerum exceſſiſſe minimum annum ætatis trigeſimum. Ponamus ergo éum tum fuiſſe annorum triginta trium, conficitur certè eum natum eſſe anno 390. à quo ſi dinumeres vſque ad annum 515. in quo ex mente *Bzouij* in *Britanniam* diſceſſit, inuenies annos vitæ ſupra centum viginti quinque, quæ ætas non ſinit maria ſuperare, & Apoſtolatum ſuſcipere.

§. 4. Anno Chriſti 631. N. 3. ſcribit *Bzouius*, *Sanctum autem Vuironem in Scotia Epiſcopum tantæ venerationi habuit* Rex Dagobertus, *vt tanquam præſuli animæ ſuæ vitæq́; patrono per eximiam ſanctitatem ſua illi peccata confiteri ſolitus fuerit, nec erubuerit ad faciendam confeſſionem detractis calceis eum adire eiúſque oris imperio parere.* Apud Sur. 8. Maii.

Magnum exemplum narras Bzoui, ſed fallis in exempli authore. Non Dagoberti ſed Pipini Ducis Francorũ confeſſarius dicitur S. Vuiro ex mſ. apud Sur. 8. Maij quem teſtem adnotas, ſed contra te. Sic enim loquitur, *Dux autẽ Pipinus tantæ eũ venerationi habuit, vt tanquam præſuli animæ ſuæ vitæq́; Patrono propter eximiam ſanctitatem ſua illi peccata confiteri ſolitus ſit, nec erubuerit ad faciendam confeſſionem detractis calceis eum adire, eiúſque oris imperio parere.* Hæc Surius, quæ tametſi clariſſima, ta-

men ſi non intellexiſſes, facem tibi prætulit Baronius t. 8. an. 631. N. 8. vbi eadem Surij verba ad eximiam Pipini commendandam religionem intexuit. Iuua me, Bzoui, nam ego hæreo.

SYLLABVS ERRORVM IN ANGLIA COMMISSORVM.

CAPVT VI.

§. 1. ANno Chriſti 1172. N. 4. f. in exilio S. Thomæ ſocius numeratur Hubertus poſtea Archiepiſcopus Mediolanenſis & inde ſummus Pontifex Vrbani III. nomine ſalutatus. At verò hunc eundem Hubertum ſuo nomine ſpoliat, alióque afficit, nempe anno 1185. N. 2. vbi ita ſcribit, *Defuncto Lucio & ſepulto, miro omnium Cardinaliũ præſentium conſenſu, ſtatim creatus eſt eius ſucceſſor Vrbanus III. dictus antea Lambertus Archiepiſcopus Mediolanenſis.* Itaq; huic Huberto non ſolum Cardinales, cùm Pontificẽ creauere, nomen mutarunt, ſed etiam Bzouius, ídque nullo allato auctore.

Sanè etiam *B*aronius t. 12. an. 1172. N. 13. prope f. ex codice quodam Vaticano Vrbanum III. vti Bzouius, vocat Hubertum; anno verò 1185. N. 11. eundem Pontificem Lambertũ nominat, nullo nomi-

nominato auctore; ſed Bzouij, qui immenſum Baronij opus in compendium redigere inſtituit, erat obſeruare, ſi quando longa ætate & ſcriptione feſſum Baronium memoria defeciſſet, & relictos ab eo dubitationum racemos colligere, nec lectorem in ſalo hærentem deſerere; codicem illum Vaticanum inſpicere an ſit antiquus, an in eo propter nominum ſimilitudinem legi poſſit Lambertus pro Hubertus. Inquirere poſtmodum debebat an ſint, qui Vrbanum III. Lamberti prius nomine dictum tradant, & inueniſſet Onuphriũ ac Ciaconium in Vrbano III. Sigoniũ 15. regni Ital. p. 343. ante m. Anſelmi Gemblacenſis auctarium Aquicinctinũ an. 1185. f. cuius auctor antiquus apparet, cùm tãtùm ſcripſerit vſq; ad an. 1225. Conſulendus etiam erat catalogus Mediolanenſium Archiepiſcoporũ. Nobis quidem dubitandũ non videtur quin Vrbanus III. vno Huberti vel Lamberti, non vtroq; nomine appellatus ante Pontificatum fuerit; vtro autem, incertum eſt, cùm vtriuſque extent indicia.

§. 2. Anno Chriſti 1170. N. 11. inter ſicarios, qui per immane nefas S. Thomam Cantuarienſem trucidarunt, recenſet Bzouius Reginaldum filium Vrſi gente Vrſinum his verbis, *Audierunt fortè hæc* (quæ rex ira feruens in caput Thomæ iecerat) *inter alios quatuor viri Willelmus de Traci, Hugo de Moreuile, Richardus Brito, & Reginaldus filius Vrſi*

gente Vrſinus, viri quidem generis præminentia præcipui, ſed enormis ſceleris auſu militiæ gloriam & ſtemmatis titulum perpetua ignominia mox damnaturi. Scilicet hoc illud illuſtre eſt epicedium, quod excellentiſſimæ genti Vrſinæ Bzouius decantat & aſſingit, omiſſum à Rogerio in Annalibus & à Baronio tom. 32. an. 1120. N. 46. Sed iam alibi fabulatorem Bzouium nullo auctore ſubnixum minio pinximus. Nihil enim genti Vrſinæ cum Vrſis Anglicanis. Nempe tales ſunt acceſſiones, quas Baronianæ ſcriptioni adiuncturū ſe promiſit *Bzouius.*

T. 1. hiſt. Eccl. præf. ad lect.

§. 3. Anno Chriſti 495. N. 7. *Vixit hoc anno Richardus in Anglia honeſtis parentibus ortus. Hic adoleſcens, liberalibus diſciplinis ac ſacris literis imbutus, factus eſt clericus & paulò pòſt ordinatus presbyter; in omni genere piorum operum excedere ſtuduit. Quo tempore ab Attila Italia vexabatur, à S. Petro in ſomnis admonitus Romam veniens à Gelaſio ſummo Pontifice benignè exceptus, Epiſcopus Andrienſis creatus eſt. Andriam profectus, in aditu portæ, lumen cæco reſtituit, populúmque ſacro fonte regeneratum Chriſto conciliauit. Tanta erat ſanctitate eius fama, vt finitimæ ciuitates eum ad ſe inſtituendas inuitarent. Ex Monum. Eccleſ. Andriens.*

Quantam in voraginem ſeſe *Bzouius* hoc loco præcipitat! Richardus ex Anglia Romam venit ad Gelaſium Pontificem cùm Attila Italiam vexaret,

ret; Gelaſius ſolium Petri conſcendit, Bzouio teſte, anno 492. vti ibidem refert N. 2. Attila Italiã bello vexauit año 451. vel pueris teſtibus, imo & Bzouio ipſo. Anno enim Domini 452. N. 8. hæc ſcribit: *Attila anno ſuperiore aliquantum fractus, viribus reſumptis, Aquileiam, Ticinum, & alias nobiles Italiæ ciuitates deuaſtauit.* imo quod mirabilius eſt, Bzouius anno 454. N. 4. hæc habet, *Eodem anno Attila, Aëtio adhuc viuente & hortante, noctu mulieris manu cultro confoſſus eſt.* Iacet igitur exanimis hoc anno, mi Bzoui, terrarum terror, & flagellum Dei, Attila. Sed ſi iacet, quomodo Italiam̃ vexat fere poſt quadraginta demum annos, id eſt, hoc anno Domini 492?

§. 4. Año Chriſti 596. N. 2. ait Bzouius, *Pro Anglis autem ad fidem conuertendis Auguſtinum, atque Mellitum monachos vnà cum quibuſdam adiunctis ſociis in Angliam miſit atque inerti timore percuſſos, Romámque reuerſos redire præcepit.* In margine citat *Bedam. lib. 1. c. 23.*

Turbidè omnia *B*zouius legit, turbidè omnia ſcribit. Hoc anno Mellitus non eſt miſſus in Angliam, neque id *B*eda ſcribit ſed *B*aronius, quem tu errantem emendare ex hoc ipſo 23. & 29. cap. Bedæ, non imitari debebas, præſertim cum & ipſe poſtmodum año 601. N. 17. §. 2. doceat, tũ demum Mellitum Auguſtino in Angliam ſubmiſſum, ídq;

verbis *Bedæ*, mox etiam à me recitandis. Deinde falſum eſt Mellitum cum ſociis Romam reuerſos eſſe, neque id Baronius docet, ſolus enim Auguſtinus ab aliis remiſſus eſt, qui Pontifici difficultatem iniuncti muneris indicaret, atque etiam Anglicanam profectionem deprecaretur, vt explicatè *Beda* illo ipſo c. 23. docet. Redde auctoris verba Bzoui, aut tuis exprime mentem illorum, non tuam. *Anno*, inquit *Beda*, *ab incarnatione Domini quingenteſimo octogeſimo ſecundo Mauritius ab Auguſto quinquageſimus quartus imperium ſuſcipiens, vno & viginti annis tenuit. Cuius anno regni decimo Gregorius vir doctrina & actione præcipuus Pontificatum Romanæ & Apoſtolicæ ſedis ſortitus, rexit annos tredecim, menſes ſex, & dies decem. Qui diuino admonitus inſtinctu anno decimo quarto eiuſdem principis, aduentus verò Anglorum in Britanniam anno circiter centeſimo quinquageſimo miſit ſeruum* D E I *Auguſtinum, & alios plures cum eo monachos timentes Dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorũ. Qui cum iuſſis pontificalibus obtemperantes, memoratum opus aggredi cœpiſſent, iamque aliquantum itineris confeciſſent, perculſi timore inerti redire domum, potius quam barbaram, feram incredulámque gentem, cuius nec linguam quidem noſſent, adire cogitabant, & hoc eſſe tutius communi conſilio decernebant. Nec mora Auguſtinum, quem eis Epiſcopum*

pum ordinandum (ſi ab Anglis ſuſciperentur) diſpoſuerat, domum remittunt, qui à beato Gregorio humili ſupplicatu obtineret, ne tam periculoſam, tam laborioſam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Hæc Beda. Quinto demum poſt anno Pontificis mandato Mellitus in Angliam nauigauit, vti *B*eda in eodem libro cap. 29. diſertè tradit his verbis, *Præterea idem Papa Gregorius, Auguſtino Epiſcopo (quia ſuggeſſerat ei, multam quidem ſibi eſſe meſſem, ſed operarios paucos) miſit cum præfatis legatariis ſuis plures cooperatores ac verbi miniſtros, in quibus primi & præcipui erant, Mellitus, Iuſtus, Paulinus, Rufinianus* &c. Deinde recitat Gregorij litteras Auguſtino tum per Mellitum miſſas anno, vt ait, imperantis Mauritij decimo nono, hoc eſt Domini 601. nam capite 23. dixerat imperium à Mauritio ſuſceptum anno ab incarnatione Domini 582. & decimo quarto eiuſdem Principis anno Auguſtinum in Angliam miſſum, vt ſupra audiuimus. Hæc *B*eda, qui à Bzouio inuocatus, contra *B*zouium pugnat.

§. 6. Anno Chriſti 597. N. 3. recitat Bzouius verba Edilberti Regis, quibus Auguſtino Angliæ Apoſtolo Chriſtianè perorãti, reſponderit hunc in modum, *Pulchra ſunt, ait, verba, & promiſſa quæ adfertis, ſed quia noua ſunt & incerta, non his poſſum aſſenſum tribuere, relictis eis, quæ tanto tempore* Beda hiſt. gent. Angl. lib. 1. c. 25

cum

cum omni Anglorum gente ſeruaui. Cæterum quia vera ſuſpicor dicere, nobiſcum manete. Hæc rex aut potius *Bzouius*, qui ſermonem regis ex Beda excerpſit, imò etiam diſcerpſit, & ex regia oratione Bzouianam fecit. Neque Edilbertus dixit, *Suſpicor vos vera dicere.* Verba Bedæ illibata adferenda fuiſſent, vt à Baronio N. 22. factum: eiuſcemodi ſunt lib. 1. cap. 25. *Pulchra ſunt quidem verba, & promiſſa, quæ affertis, ſed quia noua ſunt, & incerta, non his poſſum aſſenſum tribuere, relictis eis, quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente ſeruaui. Verum quia de longè huc peregrini veniſtis, & vt ego mihi videor perſpexiſſe, ea quæ vos vera & optima credebatis, nobis quoque communicare deſideratis: nolumus moleſti eſſe vobis, quin potius benigno vos hoſpitio recipere, & quæ victui veſtro ſunt neceſſaria, miniſtrare curamus, nec prohibemus, quin omnes, quos poteſtis, fidei veſtræ religionis prædicando ſocietis.* Hæc Beda, cuius oratio à Bzouiana diſſentit; ſi conſentiret, prior Bzouij non eſſet.

§. 7. Anno Chriſti 1072. N. 8. ante m. ſcribit Bzouius, *Scoti & Angli plerique proprias vxores non ſolum deſerebant, ſed etiam vendebant. Quod flagitium vt Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus reprimeret, eidem per literas poteſtatem Gregorius fecit.* Ingenti iniuria, Bzoui, tu vniuerſam & tum Catholicam gentem Anglorum afficis, & confictò à te ſce-

te ſcelere oneras. An vicinorum Polonis populorum vitia, etiam Polonorum ſunt? Sola Scotia hac infami vxorum mercatura laborabat, quid tu & Angliam eodem crimine condemnas? Recenſet Baronius tom. 11. anno Chriſti 1073. pag. 427. literas Gregorij VII. ad Lanfrancum datas, quarum hæc pars eſt, *Tuam verò fraternitatem, etſi monitore non egeat, impellente tamen nos ſolicitudine admonemus, quatenus grauiora vſquequaque reſecare vitia ſtudeat, & inter omnia & præ omnibus nefas, quod de Scotis audiuimus, quod plerique videlicet proprias vxores non ſolum deſerunt, ſed etiam vendunt, omnibus modis prohibere contendat.* Hactenus Gregorij Papæ verba, quibus *B*zouius etiam Anglorum nomen inſeruit, ac ſi & ipſi in foro vxores venales propoſuiſſent. *B*zouius fumos venales proponit.

§. 8. Anno Chriſti 1140. N. 9. ita ſcribit *Bz*ouius, *In Anglia nonnihil turbarum, propter Wilelmum in ſedem Eboracenſem contra Henricum Murdacum intruſum. Tres ille Pontifices, ſcilicet Innocentium, Cæleſtinum & Eugenium improbitate ſua fatigauit, pro Murdaco laborante S. Bernardo Abbate. Mortuo tandem Murdaco ſedem eam ab Anaſtaſio obtinuit; ſed non diu retinuit, veneno in ablutione calicis poſt ſumptum Chriſti ſanguinem à ſuis immixto extinctus.* Hæc *B*zouius ex tom. 12. N. 15.

O *B*aro-

Baronij, ſed nimis ſimpliciter. nam Baronius in appendice eiuſdem tomi anno 1140. omnia illa retractat his verbis, *At ſicut iudicem ex nouiter repertis monimentis, reuocare quam tulit ſententiam, decet; ita conceſſum ſit nobis eadem ratione quæ ſcripta ſunt de Willelmo Eboracenſi Archiepiſcopo quantūlibet auctoritate & teſtificatione S. Bernardi & aliorum abſq; diſpendio probatæ fidei ipſorum, nouis adinuentis probationibus, nouo examine agitare. Non ſolū enim Neubrigenſis, qui iiſdem temporibus vixit, & de his exactam perueſtigationem adhibuit, vt veritatem rerū geſtarū aſſequi poſſet, ſed & alij auctores fauent Willelmi Eboracenſis Archiepiſcopi cauſæ, atq; adeo, vt eundē inter ſanctos Eccleſiæ Anglicanæ connumerent; quibus fidem adhibens haud dubiā Molanus reſtitutor & illuſtrator Martyrologij Vſuardi, eundem Willelmum ſuo loco repoſuit inter ſanctos, natali die ipſius, nempe octaua die menſis Iunij. De eo Acta citantur Eboracenſia ab Harpesfeldio, quibus aſſentiuntur abſque controuerſia recentiores, inter quos eſt Joannes Capgrauius, qui ſcripſit vitas Sanctorū Angliæ & poſtremo loco Polydorus Virgilius in hiſtoria Anglicana, anno Chriſti milleſimo conteſimo quinquageſimo quarto. Quibus omnibus traditio ipſa eccleſiæ Anglicanæ conſentiens, nos pariter ſecum trahit in eandem ſententiam: ita tamen vt nihil derogatum velimus ſanctitati Bernardi, qui fauit cauſæ, quam puta-*

putauit eſſe iuſtiſsimam, falſa deceptus inſinuatione eorum, quorum exiſtimatio apud eum haud dubiæ fidei eſſet. Interdum enim contigiſſe ſe decipi falſa relatione petentium, ſuis ipſe teſtatur epiſtolis.

Quis iam *B*zouium alia *B*aronij menda emendaturum ſperet, quando quæ ipſe *B*aronius falſa eſſe monſtrat, pro veris & *B*aronianis vendit? Audi ſolum Polydorum minimè in Sanctorum laudibus ſuſpectum, *Ornatus eſt* (inquit ille lib. 12. hiſt. Angl. pag. 206. v. 34.) *eximiis laudibus Diuus Guilielmus Eboracenſis Archiepiſcopus, vtpote cuius tam viui quàm mortui rogatu miracula edita conſtat, is enim excluſus epiſcopatu ab Henrico Mordaco, vti ſupra ſcripſimus, poſt illius mortẽ rurſus Archiepiſcopus deſignatus Romam perrexit, vbi ea lectione ab Anaſtaſio quarto Romano Pontifice rata habita, ritè eſt Archiepiſcopus creatus: cui paulò pòſt in Angliam reuerſo tantus honos ab omnibus habitus eſt, vt quacũq; pergeret, paſsim mortaliũ concurſus ad eũ fierẽt. Quare ita accidit, vt cum Eboracum vir ſanctus peteret, & eundo parum vltra Pontifractum tranſiret pontem, qui in flumine eſt, quod Hayreã appellant, tantus hominum numerus ſecutus ſit, vt fracto repentè ponte, ligneus enim erat, bona pars in profluentem ceciderit. Quod vbi Guilielmus, qui iam ad alteram ripam erat, ex morientium clamore cognouit, è veſtigio conuerſus ad flumen, & vberius lachrymans, manus*

cum oculis ad cælum ſuſtulit, atque Deum ſuppliciter precatus, diuinum auxilium implorauit: quod ita celeriter cum morte luctantibus in vndis adfuit, vt ne vnus quidem perierit. Ille eodem ipſo anno mortuus eſt: poſtea vir ſanctiſſimus inter diuos relatus, per cuius preces etiam nunc mortales ſubleuantur; eius autem corpus in æde principe Eboraci religioſiſſimè ſeruatur.

Et ne *Bzouius* dubitet primam huius S. viri electionem legitimam fuiſſe, percipiat eundẽ Polydorum lib. 12. hiſt. Angli. pag. 199. 4. *Non multò etiam pòſt*, ait, *Truſtinus Eboracenſis mortuus eſt, poſt quem* Wilhelmus *Stephano propinquitate coniunctus electus eſt, ſed Henricus Murdacus Monachus Ciſtertienſis vir ambitioſus affirmans eam electionem eſſe vitioſam, per dolum Archiepiſcopus ab Eugenio Pontifice Romano creatur: quo ſeptimo poſt anno ex humanis rebus adempto Guilielmus meritum honorem aſſequutus eſt.* Hæc Polydorus, cui Murdacus ambitioſus & doloſus, & tamen apud *Bzouium* cauſam obtinet, vt eadem cadat vir Sanctus Guilielmus.

§. 9. Anno Chriſti 1167. N. 4. recenſet *Bzouius* litem, quam Henricus II. cum S. Thoma Cantuarienſi habuit, & inter cetera ſcribit, *Paucis exceptis fère omnes epiſcopi Anglicani contra Thomam perſcripſerant* ad Alexandrum Pontificem III. *vt ipſum*

ipſum regem tuerentur. Ne Bzouius Epiſcopos omnes vecordiæ condemnet, excipit pauculos in tuendis cum Thoma Eccleſiæ iuribus conſtantes. Sed ô vtinam nominaſſet illos pauculos; verùm quia hoc ipſe prætermiſit, operam ſuam nobis locet Guilielmus Nebrigenſis tragœdiæ ſpectator. is lib. 6. cap. 16. in hæc verba ſcribit, *Conuocatis ergo ad eliciendum quocunque modo conſenſum Epiſcopis, ita omnes vſque ad vnum vel pellexit* Rex Henricus *blanditiis, vel infregit terroribus vt regiæ volũtati cedendum parendúmque putarent, & nouarum illarum legum conſcriptioni propria ſigilla proponerent. Vſque ad vnum dico, nam ſolus Cantuarienſis Archiepiſcopus flexus non eſt, ſed ad omnem impulſum ſtetit immobilis.* Hæc Nebrigenſis. Eadem Baronius N. 29. ex Ioanne Sareſberienſi his verbis, *Quod ad publicum verò ſtatum, hæc poſtea multorum aſſertione vulgata ſunt, omnes Epiſcopos Angliæ ex mandato Regis conueniſſe, & ne ſententia, quam dominus Papa dictauerat, locum haberet, appellaſſe contra Archiepiſcopum ſuum,* &c. Hæc Sareſberienſis. Pergit ibidem Baronius, *Epiſcopi autem Angliæ ſuffraganei ſancti Thomæ litteris eiuſdem ſui Archiepiſcopi, Apoſtolica legatione fungentis exagitati, reſilientes; haud (vt par erat) parere mandatis, ſalubres admonitiones ſuſcipere, Catholicæ Eccleſiæ vtilitati conſulere, vendicantes tam à miſerrima ſeruitute, ſtuduerunt;*

Epiſcopi Angliæ aduerſantur S. Thomæ.

Digitized by Google

runt; ſed ex aduerſo oppoſiti, pro rege contra ipsũ ſcriptis, verbis, factiſq; repugnant, ac tantum abeſt, vt (quod eorum muneris erat, ad quod & ſuis eos literis concitauerat ipſe ſanctus) aduerſus regẽ pro Eccleſia ſtarent, redarguerent, & comminarentur oſtentantes, quæ in arcu ſagittæ paratæ erant ad feriendũ, cenſuras nimirum Eccleſiaſticas ab Eccleſia Romana vigore Apoſtolico prodeuntes; vt potius aduerſus eundem pro eccleſiaſtica libertate pugnãtem ſanctiſſimum virum bella cierent, telis appeterent iurgiorum, in ſcandalum omnium iſta audientium orthodoxorum Epiſcoporũ, præſertim verò propè exiſtentium Francorum Antiſtitum, penes quos idem glorioſus Confeſſor Thomas ſecurus ageret. Egerunt iſti primũ omniũ literis, & quidem eiuſmodi, vt de illis illud Dauidicum dici poſſit, Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Cũ tamen videri voluerint pij atque pacifici, charitatis ſtudioſi, ſolliciti fraternæ concordiæ, illos opere imitantes, de quibus Pſalmus occinit, Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleũ, & ipſi ſunt iacula. Senties tu iſta melius ex lectione epiſtolarum ipſorum, quas hoc anno ſcripſere. Erat omnium coryphæus Londonienſis Epiſcopus, ipſéq; auctor epiſtolarum, licet ſcriberet nomine omnium ſuffraganeorum Antiſtitum. Extant ipſæ ſiue à Rogerio in Anglorum Annalibus recitatæ, ſiue ex volumine epiſtolarum, quas codex Vaticanus exhibet copioſas, acceptæ.

Hæc

Digitized by Google

Hæc Baronius. Iam velim mihi *Bzouius* oſtendat ſuos paucos. An & hæc vna eſt ex acceſſionibus, quas Baronio *Bzouius* adiungit?

§. 10. Anno Chriſti 601. N. 7. ait Bzouius, *Porrò Auguſtinus Londini Eccleſiam antiquitus à Romanis fidelibus ædificatam recuperauit, eámq; in nomine Saluatoris Dei conſecrauit, & ibidem ſedẽ Epiſcopalem ſibi & ſucceſſoribus conſtituit.* Bzouius tam innocens eſt hiſtoricus, vt quia Londini hodie regis Iacobi ſedes eſt, ſedem ibi etiã Edilberthi ante mille & amplius ãnos fuiſſe pro confeſſo ſumat. Nam *Beda*, quem hìc teſtem laudat, tãtum dicit, Auguſtinũ in regia ciuitate ſedem Epiſcopalẽ accepiſſe. Quódq; mirabilius eſt, Beda eodem loco paucis interiectis docet, regiã Edilberthi ciuitatem nõ Londinum ſed Dorouerniam fuiſſe cum ait, *Fecit autẽ & monaſterium nõ longè ab ipſa* regia *ciuitate ad Orientem, in quo eius hortatu Edelbert eccleſiã beatorum apoſtolorum Petri & Pauli à fundamentis cõſtruxit, ac diuerſis donis ditauit, in qua & ipſius Auguſtini & omniũ epiſcoporũ Dorouernienſiũ, ſimul & regũ Cantij poni corpora poſſent.* Idem Beda lib. 1. c. 27. p. 27. ſic ſcribit *Interrogatio Auguſtini Epiſcopi Cantuariorum Eccleſiæ* &c. Cãtuaria Bzoui, nõ eſt Londinũ, imò multis paſſuũ millibus inter ſe diſtant. & c. 25. ait idẽ *Beda*, *Dedit ergo* Rex *eis* Auguſtino & ſociis *manſionẽ in ciuitate Dorouernenſi* ſiue Cãtuarienſi, Beda lib. 1 c. 33.

qua

qua imperij ſui totius erat metropolis, eiſque vt promiſerat, cum adminiſtratione victus temporalis licentiam quoque prædicandi non abſtulit. Idem cap. 26. hæc habet, *Nec diſtulit* Rex *quin etiam ipſis Doctoribus ſuis locum ſedis, eorum gradui congruum, in Dorouernia metropoli ſua donaret, ſimul & neceſſarias in diuerſis ſpeciebus poſſeſsiones conferret.* Clariſſimè etiam idem *B*eda lib. 2. cap. 3. *Anno Dominicæ Incarnationis,* inquit, *ſexcenteſimo quarto Auguſtinus Britanniarum Archiepiſcopus ordinauit duos Epiſcopos, Mellitum videlicet, & Iuſtum: Mellitum quidem ad prædicandum prouinciæ Orientalium Saxonum, qui Thameſi fluuio dirimuntur à Cantio, & ipſi Orientali mari contigui, quorum metropolis Londonia ciuitas eſt, ſuper ripam præfati fluminis poſita, & ipſa multorum emporium populorum terra mariq; venientium: in qua videlicet gente tunc temporis Saberethus nepos Edelberthi ex ſorore Ricula, regnauit: quamuis ſub poteſtate poſitus eiuſdem Edelberthi, qui omnibus (vt ſupra dictum eſt) vſque ad terminum Humbri fluminis Anglorum gentibus imperabat. Vbi verò & hæc prouincia verbum veritatis prædicante Mellito accepit, fecit Rex Edelbertus in ciuitate Londonia Eccleſiam S. Pauli Apoſtoli, in qua locum ſedis Epiſcopalis & ipſe, & ſucceſſores eius haberent.* Itaq; mi *B*zoui, cum S. Auguſtinus ſedem Epiſcopalem fixit, Londinum adhuc Chriſtum neſciebat,

Mellitus

Digitized by Google

Mellitus verò Londini ſibi ſedem ſuíſque ſucceſſoribus fixit, non Auguſtinus. Quæſo te lege in hoc ipſo Bedæ capite Epitaphium S. Auguſtini, *Scriptũ verò eſt*, inquit Beda, *in tumba eiuſdem Auguſtini epitaphium huiuſmodi; Hîc requieſcit Dominus Auguſtinus Dorouernienſis Archiepiſcopus primus, qui olim huc à B. Gregorio Romanæ vrbis Pontifice directus, & à Deo operatione miraculorum ſuffultus, & Edelbertum regem, ac gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit, & completis in pace diebus officij ſui, defunctus eſt ſeptimo Kalendas Iunias, eodem rege regnante.* Hæc Beda. Quæ cùm ità ſint, falſum eſt manifeſtè, quod *Londini Auguſtinus Eccleſiam recuperarit* hoc anno, eandémque *in nomine Saluatoris Dei conſecrarit: quódque ſibi ſuíſque ſucceſſoribus Londini ſedem fixerit.*

§. 11, Anno Chriſti 604. N. 6. refert Bzouius iſta, *Occidẽtalium Saxonum Epiſcopi ſchiſmatici, aliquando Quartadecimanorum errore ſeducti fuere. His cum nulla ratione Auguſtinus poſſet perſuadere, vt cum Eccleſia Catholica celebrarent Paſcha, tandem cæco in medium producto condixit, ſi hunc illuminauero credetis? Illuminauit ille quidem; ſed illi ad Synodum prouocarunt, qua poſtmodum habita, cum neque rationibus, neque prædictionibus ad vnionem perſuaderentur, ab Edilberto rege armis ſunt profligati.* Hæc fingit Bzouius ſcripſiſſe Bedam lib. 2. c. 2. cuius Bed. hiſt. Angl. lib. 2. c. 2. & 3.

Digitized by Google

pulcherrimam hiſtoriam miſerabiliter lacerat. Ridiculum eſt Auguſtinum cum Occidentalibus Saxonibus de celebratione Paſchatis cõtendiſſe; nam iis temporibus hi Saxones nondum erant Chriſtiani, ſed ipſo *Bzouio* teſte anno demum 635. N. 2. deſeruere ſua idola, *Eo tempore gens Occidentalium*

Beda hiſt. Angl. lib. 3. c. 7.

Saxonum, inquit Bzouius, *qui antiquitus Geuſsi vocabantur, regnante Cynigilſo, fidem Chriſti ſuſcepit, prædicante illis verbum Byrito Epiſcopo, qui cum conſilio Papæ Honorij in Britanniam venerat, promittens quidem ſe illo præſente, in intimis Anglorum partibus, quo nullus Doctor præceſſiſſet, ſanctæ fidei ſemina eſſe ſparſurum. Vnde & iuſſu eiuſdem Pontificis per Aſterium Genuenſem Epiſcopum in Epiſcopatus gradum conſecratus fuit.*

En Bzoui poſt triginta annos ex tuo ore Occidentales Saxones facti ſunt demum Chriſtiani, & tamen hoc anno 604. vti tu iam dicebas, fuerant iã hæretici Quartodecimani, hoc nempe eſt prius abire, quàm accedere. Gens Britonum illa fuit, Bzoui, vt quid diſcas, quacum Auguſtino ſuper Paſchate lis fuit. Oſcitando credo Bedam legiſti: repete igitur; hæc ſunt eius verba lib. 2. cap. 2. *Interea Auguſtinus adiutorio vſus Edilberthi regis conuocauit ad ſuum colloquium Epiſcopos ſiue Doctores maximæ & proximæ Britonum prouinciæ, in loco vbi vſque hodie lingua Anglorum Auguſtineizat, id eſt robur*

Augu-

Auguſtini in confinio Vectiorum & Occidentalium Saxonum appellatur: cœpítque eis fraterna admonitione ſuadere, vt pace Catholica ſecum habita communem euangelizandi gentibus pro Domino laborem ſuſciperent. Non enim Paſcha diem Dominicum ſuo tempore, ſed à decima quarta vſque ad viceſimam lunam obſeruabant.

Britones igitur vicini Occidentalibus Saxonibus populi cũ Auguſtino congreſſi ſunt, & demum profligati: ſed à quo *B*zoui? edicito nobis: Ab Edilbertho rege, inquis. *B*one Deus, hócne legere Bedam eſt? hócne ſcribere Annales eſt? non rex Edilberthus Chriſtianus, ſed, vt diſertè *B*eda ait cap. 2. quod tu citas, Edilfridus Ethnicus, qui Nordhumbis imperitabat, *B*ritones profligauit.

§. 12. Anno Chriſti 604. N. 6. ait Bzouius, *Præfecit Auguſtinus, antequam moreretur, Londinenſi Eccleſiæ Mellitum, Dorouernenſi autem Iuſtum: ſucceſſorem autem ipſe accepit Laurentium Epiſcopũ; qui nihil magis curauit, quàm Schiſmaticos ad Eccleſiam, gentiles autem reliquos ad fidem Chriſti adducere. Poſitum eſt Auguſtino epitaphium in hæc verba, Hic requieſcit Dominus Auguſtinus Dorouernienſis Archiepiſcopus primus, qui olim huc à Beato Gregorio Romanæ vrbis Pontifice directus, & à Deo operatione miraculorum ſuffultus, & Edilberthum regem ac gentem illius ab idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit,*

duxit, & completis in pace diebus officij ſui defunctus eſt 7. Kalend. Jun. eodem rege regnante.

Quæ tricæ, qui caſſes? Si Auguſtinus antequam moreretur ſucceſſorem ſibi accepit Laurentium, tunc reliquit Laurentium in Eccleſia Dorouernenſi, quia vt ipſe teſtaris hoc loco, in citato à te epitaphio Auguſtinus Archiepiſcopus Dorouernenſis fuit; ergo Laurentium ſucceſſorem reliquit Dorouerniæ; quomodo ergo ei præfecit Iuſtum, vti tu decantas? an qui epiſcopus Eugubij eſt, Bzoui, cùm moritur ſucceſſorem accipit in alia Eccleſia? poſſúmne ſucceſſorem relinquere in loco in quo nihil muneris geſſi? Deinde tu ſupra §. 10. ſcripſiſti Auguſtinum ſibi & ſuis ſucceſſoribus ſedem fixiſſe Londini: Si igitur ſucceſſorem Auguſtinus accepit, Londini accepit; atque ita Laurentius Auguſtini ſucceſſor, Epiſcopus fuit Londinẽſis, quod tu nunquam dices, quia hoc loco ais, Londinenſi Eccleſiæ Mellitum ab Auguſtino præfectum. Captus ergo es, & vinctus tuis funiculis; malè inſuper diſtinguis, male doces. Ita res accidit. Auguſtinus in viuis ſibi in Eccleſia Dorouernenſi ſiue Cantuarienſi, delegit Laurentium. quis me hoc docet? Beda lib. 2. cap. 4. *Succeſſit autem*, inquit, *Auguſtino in Epiſcopatum Laurentius, quem ipſe idcirco adhuc viuens ordinauerat, ne ſe defuncto ſtatus Eccleſiæ tam rudis vel ad horam paſtore deſtitutus vacillare inci-*

Digitized by Google

inciperet. In quo & exemplum ſequebatur primi Paſtoris Eccleſiæ, hoc eſt Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri, qui fundata Romæ Eccleſia Chriſti, Clementem ſibi adiutorem Euangelizandi ſimul & ſucceſſorem conſecraſſe perhibetur. Habes igitur, Bzoui, Laurentium in Epiſcopatu ſucceſſiſſe Auguſtino Dorouerniæ: nam ibi ſolùm Auguſtinus Epiſcopus fuit. Iuſtum verò cui Eccleſiæ præfecit? Dorouernenſi? ſanè, ſed duæ fuere ciuitates huius nominis, vna quæ & *Cantuaria* dicebatur, erátque ſedes Auguſtin. altera, quę à *Rotſcheſter* & *Roſ* cognominabatur, & ſedes erat Iuſti. Audi *B*edam cap. 3. *Iuſtum verò in ipſo Cantio Auguſtinus ordinauit Epiſcopum, in ciuitate Dorouerni, quam gens Anglorum à primario quondam illius, qui dicebatur Rotſcheſter cognominat. Diſtat autem à Dorouerni* Cantuarienſi, cui Auguſtinus præerat, *milibus paſſuum ferme viginti quatuor ad occidentem, in qua Rex Edelbertus Eccleſiam beati Andreæ Apoſtoli fecit.* Et cap. 7. *Iuſtus autem adhuc ſuperſtes Rhoſenſem regebat Eccleſiam*, qui poſtmodum defuncto Mellito, qui ex Londinenſi Epiſcopo factus fuerat Archiepiſcopus Dorouernienſis, ſucceſſit in Archiepiſcopatu, & in ordine quartus fuit, quod teſtatur Beda cap. 8. Nec eſt quod Iuſtum ex Rotſcheſteri in aliam ciuitatē à Roſ dictam tranſlatum ſuſpiceris, cum de hoc nil Beda, qui tamen Iuſtum ex Roſenſi in Cantuarienſem

ſem ſedem translatum docet. Accedat Matthæus Weſtmonaſterienſis, qui pag. 107. f. ſcribit, *Anno gratiæ 604. beatus Auguſtinus donante rege Aethelberto, in ciuitate quæ à quodam primario nomine Roſ, Roſeceſtria, id eſt ciuitas Roſ dicebatur, Eccleſiam S. Andreæ Apoſtoli conſtruxit, eámque multis poſſeſſionibus & amplis dotauit, atque ibidem Iuſtum Epiſcopum ordinauit.*

§. 13. Anno Chriſti 634. N. 2. & 3. ex Bedæ lib. 3. cap. 1. & ſequentibus, ita refert Bzouius, *Pulcherrimo ſæpe ſpectaculo contigit, vt euangelizante Aidano, qui Anglorum linguam perfectè non nouerat, ipſe Rex ſuis Ducibus ac miniſtris interpres verbi exiſteret cæleſtis. Factum breui tempore, vt vniuerſam gentem Britonum, Pictonum, Scotorum, Anglorum, atque adeo vniuerſam inſulam fide Chriſti informauerit, ac templis, monaſteriis ac piis aliis locis repleuerit.* Bzouius genio ſuo pro more indulget, & auget, aut potius peruertit Bedam, cuius lib. 3. cap. 6. hæc ſunt verba, *Huius igitur Reuerendiſſimi Antiſtitis* Aidani *doctrina Rex Oſuualdus cum ea cui praeerat gente Anglorũ inſtitutus, non ſolum incognita progenitoribus ſuis regna cœlorum ſperare didicit: ſed & regna terrarũ plus quàm vlli maiorum ſuorum ab eodem vno omnipotẽti Deo, qui fecit cælum & terram, conſecutus eſt. Deniq; omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas (id eſt Britonum, Pictonum, Scotorum, An-*

Anglorum) diuiſa ſunt, in ditione accepit. Quo regni culmine ſublimatus, nihilominus, quod mirum dictu eſt, pauperibus & peregrinis ſemper humilis, benignus & largus fuit. Attende lector; quod Beda ſcribit, *In ditione accepit nationes Britonum, Pictonum, Scotorum, Anglorum*; id nobis ſumma cum fide Bzouius hunc in modum reddit, *Vniuerſam gentem Britonũ, Pictonum, Scotorum, Anglorum, atque adeo vniuerſam Inſulam fide Chriſti informauit.* Quaſi idem eſſet in ditionẽ ſuã accipere, & ad Chriſti fidẽ adducere. Vt taceã Pictos & Scotos ante Oſuualdũ fuiſſe Chriſtianos: imò quoties ſupra Scotos Bzouius ab idolis deſciſcentes memorauit? Pictos certè cum ſuis regibus Chriſtianos fuiſſe iam anno 360. N. 12. ipſe Bzouius teſtatur.

§. 14. Anno Chriſti 672. N. 3. ait Bzouius, *In Anglia Theodorus Dorouernẽſis Eccleſiæ Epiſcopus quinque Epiſcoporum Synodum die 24. menſis Sept. in loco qui dicitur Herudford celebrauit.* Teſtis eſt apud Bzouium Beda lib. 4. c. 5. Planè pudor eſt Bzoui, te tam ſomnolentum auctores voluere. Tradítne Beda Synodum hanc celebratam anno Chriſti 672? Explica ergo mihi verba Bedæ circa finẽ capitis, quod tu citas, *Facta autem eſt hæc Synodus anno ab incarnatione Domini 673.* Sed anno aberrare vno, parua Bzouio culpa eſt.

SYL-

SYLLABVS ERRORVM IN SCOTIA COMMISSORVM.

CAPVT VII.

§. 1. ANno Chriſti 431. N. 29. ſic ſcribit Bzouius, *Hoc anno pariter Patricius Scotus S. Martini ex ſorore nepos ab eodem ordinatus clericus, ab S. Germano Antiſiodorenſi ſacris literis imbutus, & ab Cœleſtino Romano miſſus, Palladio defuncto Scotis Euangelium annunciauit.* Hoc loco Bzouius Baronium felicius quàm alias in compendium redegit. nam Baronius duobus annis indefinitè adeóque alterutro, videlicet 431. vel 432. Patricium in Hiberniam veniſſe demonſtrat; Bzouius verò abſque vlla demonſtratione anno 431. id factum confidenter aſſeuerat. nam ſi demonſtratio quæritur, potius anno 432. factum dici debet, quo id factum Sigebertus tradit. Deinde cùm Patricius à Cæleſtino ad Hibernos miſſus fuerit, vt Bzouius alibi rectè docet; & Scoti ab Hibernis diuerſi ſint, vt eodẽ loci Bzouius indicat: quid eſt quod hoc loco Patricium ad Scotos miſſum tradit? Hîc profectò acceſſione opus erat, Bzoui, qua te munires, ne tibi ipſe aduerſari viderere. Petere eam poteras ex Molani in Vſuardi Martyrologiũ adnotationibus. In quo

Probus in vita S. Patricii. Sur. 22. Iun.

A. 420. XV.

Mar-

Martyrologio ad 17. Martij ſcribitur hæc ſententia, *In Scotia natale Sancti Patricij Epiſcopi & Confeſſoris, qui primus ibidem Chriſtum euangelizauit.* Vbi Molanus eruditè & opportunè adnotat, *Patricius Apoſtolus fuit Hibernorum qui apud veteres Scotorum quoque nomine comprehendebantur.* Similem acceſſionem & Baronius, quem abbreuias, ſuppeditaſſet cum anno 684. illis Bedæ verbis, *Ne Scotiam nil ſe lædentem impugnaret*, hanc notam adiicit, *Vocat auctor Scotiam Hiberniam.* *N. IX*

SYLLABVS ERRORVM
IN HIBERNIA COMMISSORVM.
CAPVT VIII.

§. 1. ANno Christi 684. N. 4. §. 2. hæc adfert Bzouius, *In Hibernia, Ecfridus Rex Nordhumbrorum, quòd Hibernos iniuſtè vexaſſet, diuina vindicta, in inuia delatus montium interiit.* *Beda lib. 4 c. 26.* Paucula sūt iſta, Bzoui, plura plures errores parerent. Duos tamen hîc inuenio. Primus eſt, quod Beda non dicat Regem Ecfridum interiiſſe anno 684. ſed ãno 685. 13. Kalend. Iun. Nec eſt, quod Baronij auctoritatem obtendas. nam aronius Ecfridi interitum, allatis Bedæ verbis, quæ & nos pòſt paulò adferemus,

anno quidem 684. refert, ſed ita vt planè doceat, eum anno 685. contigiſſe, narratum tamen eo loco, quòd cum vaſtatione Hiberniæ, quæ anno 684. præceſſerat, vt effectus cum cauſa connexus eſſet. Quod incomparabilis chronologus Bzouius aduertere, nec lectorem fallere debuit.

Secundus error eſt, quod idem Beda etiam non dicat hunc regem in Hibernia periiſſe; periit enim in prouincia Pictorum, qui illum hoſtilia arma inferentem peremerunt. Audi Bedā lib. 4. hiſt. angl. cap. 26. *Anno Dominicæ incarnationis 684. Ecfridus rex Nordan Humbrorum miſſo in Hiberniam cum exercitu duce Berto, vaſtauit miſerè gentem innoxiā, & nationi Anglorum ſemper amiciſſimam ita vt nec Eccleſiis quidē aut monaſteriis manus parceret hoſtilis. At inſulani & quantum valuêre armis arma repellebant, & inuocantes diuinæ auxilium pietatis cælitus ſe vindicari continuis diu imprecationibus poſtulabant. Et quamuis maledici regnum Dei poſsidere non poſsint, creditum tamen eſt, quod hi qui merito impietatis ſuæ maledicebantur, ocyus domino vindice pœnas ſui reatus luerent. Siquidem anno poſt hunc proximo, idem rex cum temerè exercitum ad vaſtandam Pictorū prouinciā duxiſſet multum prohibentibus amicis, & maximè beatæ memoriæ Cudberto, qui nuper fuerat ordinatus epiſcopus, introductus eſt (ſimulantibus fugam hoſtibus) in anguſtias inacceſſo-*

rum

rum montium, & cum maxima parte copiarum, quas ſecum adduxerat extinctus, anno ætatis ſuæ quadrageſimo, regni autem quinto decimo, die 13. Kal. Iul.

§. 2. Anno 1053. N. 8. hæc ſcribit *Bzouius, In Hibernia Ardericus quidã, qui magnã de ſe ſanctitatis opinionem concitauerat, cùm eſſet repertus à receptis Eccleſiæ ritibus diſſentire, ab inſula fidei Catholicæ tenaciſſima eiectus eſt. Cùm enim viderent fideles, hunc ipsũ pueros & puellas clericorũ more tondere in modũ coronæ, & contra Apoſtolũ, fœminas nõ debere velare caput, aſſerere; indicarunt ſtultitiæ & leuitatis, vel (quod deterius eſt) magnæ eſſe ſuperbiæ indicium antiquis Eccleſiæ vſibus, ac traditionibus non conſentire.*

Obſeruet lector, quàm egregiè dilaudet *Bzo*uius Hiberniam ob fidei Catholicæ tenacitatẽ. Deſcribit idem *Bzouius* ãno Chriſti 1089. N. 5. ex Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi epiſtola ad regem Hiberniȩ data illaudabilẽ conſuetudmẽ, *quod Epiſcopi ab vno Epiſcopo conſecrentur, quod in villis & ciuitatibus plures ordinẽtur, quod ſacri ordines per pecuniã ab Epiſcopis dentur*, &c. Numeramus ergo per hoc tempus plures in Hibernia epiſcopos, qui & ſacros ordines contulerunt: quod lectorẽ notare velim *Bzouij* cauſa, quia alibi ipſe ſecũ ingentem pugnã pugnat. Anno enim Chriſti 1124. N. 10. ita infit, *In Hibernia quaſi poſt quindecim generationes, ex quo nullũ Epiſcopum Eccleſia Hibernorum habuit,*

quanquam reluctans electus eſt ex monacho epiſcopus Conneretenſis S. Malachias; eiúſque inſulæ denſas tenebras renouata luce illuſtrauit. Siquidem ceſsit tunc duritia, quieuit barbaries, & domus exaſperans paulatim leniri cœpit, paulatim correctionem admittere, recipere diſciplinam. Eo aſſumpto fiebant de medio barbaricæ leges, Romanæ introducebantur, recipiebantur vbique Eccleſiaſticæ conſuetudines, contrariæ reiiciebantur. Reædificabantur baſilicæ, ordinabatur Clerus in illis, Sacramentorum ritè ſolennia celebrabantur, confeſsiones fiebant, ad Eccleſiam conueniebant plebes, concubinatus honeſtabat celebritas nuptiarum. Poſtremò ſic mutata in melius omnia, vt illi genti tunc conueniret, quod Dominus per Prophetam dixit; qui ante non populus meus, nunc populus meus.

Hæc Bzouius, neſcio vtrum maiore Baronij, quem contrahit, an S. Bernardi, quem citat, iniuria: lector iudicet, ego vtriuſque horum verba dabo. *Hoc eodem anno* 1124. inquit Baronius, *ſecundum illud propheticum: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Florentiſsima olim Hibernorum eccleſia per multa ſecula nulla planè legitima ſucceſsione Epiſcoporum exculta, omnino inculta euaſerat, atque penitus deſerta inculta remanſerat. Quindecim enim, teſte ſancto Bernardo, generatio-*

N. X.

rationum curriculis euolutis acciderat, vt primæ ſedis Archiepiſcopatum hæreditaria ſucceſsione vna familia tyrannica poſſeſsione poſsideret inuaſum. Mos enim, inquit ſanctus Bernardus, *peſsimus inoleuerat quorundam diabolica ambitione potentum, ſedem ſanctam obtentum iri hæreditaria ſucceſsione: nec enim patiebantur epiſcopari, niſi qui eſſent de tribu & familia ſua. Nec parum proceſſerat execranda ſucceſsio, decurſis iam in hac malitia quaſi generationibus quindecim; & eo vſque firmauerat ſibi ius prauum, imò omni morte puniendam iniuriam generatio mala & adultera, vt etſi interdum defeciſſent clerici de ſanguine illo, ſed epiſcopi nunquam. Denique iam octo extiterant ante Celſum viri vxorati, & abſque ordinibus, literati tamen. Inde tota illa per vniuerſam Hiberniam, de qua multa ſuperius diximus, diſſolutio eccleſiaſticæ diſciplinæ, cenſuræ eneruatio, religionis euacuatio; inde illa vbique pro manſuetudine Chriſtiana ſæua ſubintroducta barbaries, immò paganiſmus quidam indoctus ſub nomine Chriſtiano* &c. Hæc Bernardus. *In vita S. Mal. c. 5.*

*B*aronius & *B*ernardus dicunt, quaſi per 15. generationes Archiepiſcopos hæreditaria ſucceſſione ad Archiepiſcopatum perueniſſe; *B*zouius dicit, quaſi per quindecim generationes nullum in Eccleſia Hibernorum fuiſſe epiſcopum; quod Bernardus non modò non dicit, ſed etiam contradi-

Digitized by Google

Cap. 2. & 3 cit. nam ibidem narrat, Malachiam ab Epiſcopo Ardinachenſi (ciuitatis Hiberniæ) ordinatum ſacerdotem, & miſſum ad Epiſcopum Leſmorenſem, itidem ciuitatis Hiberniæ (vt Bzouius anno N. IV. 131. agnoſcit) ſanctitate & miraculis clarum. Imo Bernardus illo ipſo, quod *Bz*ouius nominat, capite quinto docet, in Hibernia multiplicatos fuiſſe Epiſcopos pro libitu metropolitani, ita vt ſingulæ pene Eccleſiæ ſingulos haberent Epiſcopos, ex quibus nominat Malchum & Gillebertum, *quem*, inquit, *aiunt prima functum legatione Apoſtolicæ ſedis per vniuerſam Hiberniam*. Denique Epiſcopos conueniſſe ſcribit, vt Malachiæ ad ſuſcipiendum Archiepiſcopatum vim afferrent. Et tamen ſi *Bz*ouio credimus, Hibernia tum quaſi per quindecim generationes nullum habuit Epiſcopum.

§. 3. Anno Chriſti 601. N. 7. §. 2. ait *Bz*ouius, *Eodem tempore Hibernis interrogantibus num baptizandi denuo eſſent, ex Neſtorianiſmo reuertentes, reſpondit* Gregorius Magnus *nullos debere rebaptizari, qui in nomine S. Trinitatis iuxta formulam catholicam baptizati forent.*

l. 9. ep. 61. Suadet hoc ex Gregorij epiſtola Bzouius, ſed non perſuadet. nam Cardinales aliíque pietate & doctrina inſignes viri à Gregorio XIII. delecti, qui Ius Canonicum emendarunt & notationibus illu-

ſtra-

ſtrarunt; inter cetera etiam illius Gregorianæ epiſtolæ inſcriptionem Diſtinctione 4. de conſecratione, cap. 144. *Ab antiqua*, ex originali manuſcripto Vaticano emendarunt, & *in Iberia*, non, *in Hibernia* legendum docuerunt. Quos Baronius in annalibus, & Petrus Tuſſinianenſis eiúſque adiutores in Gregorianorum operum Vaticana editione, ſi vidiſſent, ſecuti haud dubiè fuiſſent. Quare non eſt quod de horum authoritate ſibi Bzouius blandiatur; dignus tamen venia, vt qui non viderit, quod tot támque acres oculi itidem non viderunt.

SYLLABVS ERRORVM
IN POLONIA COMMISSORVM.
CAPVT IX.

MIrabitur lector Bzouium ne domi quidem domi eſſe, adeò in patria ſua Polonia hoſpes eſt. quid alibi noſceret?

§. 1. Anno Chriſti 965. N. 2. m. *Bzouius* ſcribit, *Suſcepit Miecislaus* Poloniæ Princeps *conditionē* (quia niſi Chriſtianus fieret, nuptias eius abnuebat Boleslai Bohemiæ Principis filia) *& ſacro fonte ablui tolerauit; móxque totum ſeſe ad propagandam*

alam per omnem Principatum ſuum religionem hortante & adiuuante vxore, conuertit, Cathedrales baſilicas nouem diuerſis locis ædificauit, eáſque ſupellectili omnis generis precioſa ornauit, cenſibus & poſſeſſionibus locupletauit; & in diœceſes diſtributas, duas quidem ex his Archiepiſcopis, nempe Gneſnenſem & Cracouienſem: reliquas verò, hoc eſt, Poſnanienſem, Smogorouienſem (quæ poſtmodum Bicinenſis, nunc verò Vratiſlauienſis dicitur) Gruſuicienſem, quæ ſucceſſu temporis Wladiſlauiam tranſlata eſt, Plocenſem, Culmenſem, Lubuſſenſem & Camenenſem ſingulis Epiſcopis attribuit, iiſque decimas omnis generis frugum de ſuis iuxta ac nobilitatis, plebiſq; agris edicto perpetuo adſcripſit: ita quidem, vt eæ decimæ poſt meſſem ab ipſis aratoribus ad conſtitutum locum conuehantur.

Ex his Bzouij dictis diſco à Miecislao inſtitutas eſſe duas Eccleſias metropolitanas, nempe Gneſnenſem & Cracouienſem; diſco inquam, ſed non credo. neque Gneſnenſem, neque Cracouienſem ſedem Archiepiſcopalem fuiſſe tempore Mieceslai, certum redditur ab oculato quaſi teſte Ditmaro Epiſcopo Merſepurgenſi. narrat is lib. 4. p. 43. v. 23. in hæc verba, *Otto Cæſar* tertius *auditis mirabilibus, quæ per dilectum ſibi martyrem Dominus fecit Adelbertum, orationis gratia eò pergere* āno circiter Chriſti 999. *feſtinauit* &c. *Videns à longe Gnesnam vrbem*

bem deſideratam, nudis pedibus ſuppliciter aduenit, & ab Epiſcopo eiuſdem Vngero venerabiliter ſuſceptus, in Eccleſiam introducitur &c. *Nec mora, fecit* Cæſar *ibi Archiepiſcopatum, vt ſpero, legitime, ſine conſenſu tamen præfati præſulis, cuius diœceſi omnis hæc regio ſubiecta eſt, committens eundem prædicti martyris fratri Kadimo, eiq́; ſubiiciens Reinbernum ſanctæ Cholbergienſis Eccleſiæ epiſcopum, Popponem Cracuenſem,* ſiue Cracouienſem *Epiſcopum, Joannem* W*iotislaenſem, Vngero Poſnanienſe excepto, factóque ibi altari, ſanctas in eo honorificè condidit reliquias.* Hæc Ditmarus. Eadem de eiuſdē Gneſnenſis Archiepiſcopatus inſtitutione, & in Cracouienſem Epiſcopatum iurisdictione ex Ditmaro Baronius anno 999. xii. refert, ex quo noluit *B*zouius intelligere, vt bene ſcriberet. Vbi ergo tuæ Archiepiſcopales Eccleſiæ, Bzoui, Gneſnenſis & Cracouienſis ſub Miecislao? Teſtem laudas Cromerum, qui tamen rem longè aliter, quàm tu, narrat. Cum enim de Epiſcopatibus & Archiepiſcopatibus, quæ tu ex eo affers ſcripſiſſet, ſubiicit, *Anonymus quidam vetuſtus rerum Polonicarum annotator verius quam ſcriptor, Cracouiæ quoque initio non Archiepiſcopum ſed Epiſcopum vult eſſe conſtitutum: deinde vero Aaronem Abbatem Tinecenſem à Benedicto Papa nono primum Archiepiſcopum Cracouienſem renunciatum eſſe: eam vero prærogatiuam ſucceſſorem*

lib. 3. pag. 32. Col. 2. poſt m.

eius proximum, Lampertum Zulam neglexiſſe. De Culmenſi quoque epiſcopa ſiue epiſcopatu *Dlugoſſo non aſſentior.* Hæc Cromerus, ex quibus apparet eũ de Gneſnenſi & Cracouienſi Archiepiſcopatibus narrationem præcedentem ſumpſiſſe ex Dlugoſſo, & Dlugoſſum non eſſe ſynchronum rei narratæ, alioqui Cromerus ei fuiſſet aſſenſus, nunc autem non modò non aſſentitur, ſed eum etiam ex certis monumentis refellit, cùm pergit in hunc modum, *Longè enim poſteriùs eam conditam eſſe, ac de Plocenſi quaſi deductam, certa extant monumenta literarum, cùm alibi, tũ in archiuo regio Cracouienſi, quemadmodum ſuo loco indicabimus. Niſi fortè initio quidem à Miecislao conditam, poſteriùs verò à Pruſſis ſubacta ea regione deletam, ac deinde à Conrado Maſouiorum duce denuo reſuſcitatam potius, quam conditam fuiſſe exiſtimare volumus. Vtut eſt, tunc quidem primum epiſcopæ & baſilicæ in Polonia conditæ & ſolenni ceremonia dedicatæ ſunt.* Hactenus Cromerus, qui lib. 7. ſuam ſententiam ita exponit, *Conradus* princeps *Chriſtianum ibi primum Epiſcopum Pontificis Maximi authoritate conſtituit, quo per eum barbari ad religionem Chriſtianam adducerentur.* Narrat deinde bona Culmenſi Epiſcopo attributa atque ita concludit, *Id adeo anno Chriſti 1222. Louiciæ actum eſt, vti videre eſt ex diplomate à Conrado & Gedeone vnà cum Capitulo ſupra memora-*

Pag. 131. Col. 1. f

Chriſtianus Epiſcopus Culmenſis.

Pag. 131. Col. 2. poſt pr.

Digitized by Google

moratis, paritérque à Leſco Poloniæ, & Henrico Sileſiæ ducibus, Vincentio Archiepiſcopo Gneſnenſi, Cracouienſi, Poſnanienſi, Wratislauienſi, Lubuſſenſi & Cuiauienſi epiſcopis conſignato. Ita Cromerus, qui vltimis ex diplomate allatis verbis planè confirmat, anno 1222. Cracouiæ non Archiepiſcopum ſed Epiſcopum fuiſſe. Neque dubium, quin Cromerus eidem Dlugoſſo etiam de Geſnenſi Archiepiſcopatu inchoato fidem abrogaſſet, ſi Ditmarum habuiſſet, non enim habuiſſe apparet ex catalogo auctorum operi præfixo. At *B*zouius habuit, nec veritatis ſed patriæ amore Dlugoſſum Cromero, *B*aronio, ac Ditmaro prætulit, & breuem Baronij narrationem contra inſtitutum ſuum amplificauit. Baronius enim eodem anno 965. cum generatim docuiſſet, Epiſcopatus tum in Polonia inſtitutos ſubiicit, *Quot autem tunc erectæ fuerint ſedes Epiſcopales in Polonia, Cromerus & alij, qui res Polonorum ſunt proſecuti, diffuſè narrant, quos tu conſulas.* At Bzouius abbreuiator Baronij non ſolum quot, ſed & qui Epiſcopatus inſtituti fuerint tradit. Hoccine eſt abbreuiare? Sed Bzouius acceſſionibus gaudet, vtinam non tam vanis. Patriam illuſtrare voluit, vtinam non obſcuraret. *N. VII.*

§. 2. Anno Chriſti 999. N. 3. *Româ rediens*

In vita S. Adalb. & Crom. l. 3. *Imperator* Otto *Gneſnam adiit, vt ſepulturam S. Adalberti Martyris inuiſeret. Hanc ciuitatem cùm primùm à longe vidiſſet, nudus pedes iuit, ſiue vt martyrem miraculis clarum veneraretur, ſiue vt noxas permultas contractas ea pœnitentia expiaret. Boleslaus ſanè Poloniæ princeps honorificentiſſimè Ottonem excepit, & magni precij abaco aurea planè regia, toto triduo renouata, tum etiam brachio S. Adalberti munerauit: viciſſim autem Otto præſente adeóque conſentiente ſedis Apoſtolicæ legato ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiacono Cardinali tum regium diadema Boleslao dedit, tum Archiepiſcopalem dignitatem Gneſnenſi Eccleſiæ conceſſam non irritauit. Namq; eo tempore, Eccleſia Gneſnenſis metropolitana dignitate ornata non fuit.*

Hic Bzouius non ſolum contra Baronium, quem non tam contrahit, quàm corrumpit, ſed etiam contra plures vetuſtos ſcriptores adhæret Cromero vel potius Dlugoſſo ante annos circiter 130. mortuo, quem bona fide ſecutus videtur Cromerus, fortaſſe non ſecuturus, ſi Ditmarum Ottonis æqualem vidiſſet, qui etiam poſt mortem N. vlt. Ottonis, anno, vt Baronius docet, 1008. Boleslaum Pag. 104. v. 4. non regem ſed ducem appellat his verbis, *Rex Ruſſorum Vludomirus tres habens filios, vni eorum Bolizlaui Ducis* Polonorum *noſtrique perſecutoris filiam in matrimonium duxit*. Hæc Ditmarus, qui tum viue-

viuebat, nec rem tam memorabilem, quàm eſt regia dignitas, ignorare potuit, nec cognitam prætерire ſilentio debuit.

Eundem Boleslaum Ducem non Regem vocat Marianus Scotus Boleslai temporibus proximus, quippe qui chronicum ſuum vltra annum 1083. non produxerit. Is igitur ad annum 1004. ita ſcribit, *Henricus rex* Romanorum ex duce Bauariæ factus *Italiam, Bohemiam, & Bolislaum ducem* Polonorum *cum omni Sclauorum gente ſubiugauit:* in qua gente etiam Poloni comprehendebantur vt Cromerus ſignificat, quamuis Slauos non Sclauos ſcribi oportere contendat. Quòd ſi fortè teſtimonia Bzouius eleuare audeat, Gregorium ſeptimum ſaltem reuereatur, qui anno 1075. literas ad Boleslaum Polonorum Ducem dedit, cum iſthoc exordio; *Gregorius Seruus ſeruorum Dei Boleslao Poloniorum Duci ſalutem & Apoſtolicam benedictionem* &c. non omiſſurus regium titulum, ſi rex Polonis fuiſſet: quia in partem contemptus cedit, humiliore appellare nomine ſuperiorem eo nomine.

lib. 1. pag. 13. Col. 1. poſt m.

Tom. 3. ep. Pontiff. pag. 673.

Accedit ad hanc pontificiam auctoritatem clariſſimum teſtimonium Lamberti Schaffnaburgenſis, Bellarmino Cardinali *inſignis & veracis hiſtorici.* is ad annum Domini 1077. ita ſcribit, *Dux Polonorum, qui per multos annos regibus Teutonicis tributarius fuerat, cuiúſque regnum iam olim Teuto-*

nicorum virtute ſubactum, atq; in prouinciam redactum fuerat, de repente in ſuperbiam elatus, propterea quod Principes Teutonicos cerneret domeſticis ſeditionibus occupatos, nequaquam ad inferẽda ceteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem, regiúmq; nomen ſibi vſurpauit, diadema impoſuit, atque in ipſo die Natalis domini ab 15. Epiſcopis eſt in regem conſecratus; quæ breui poſt comperta Principes Teutonicos, quibus Reipublicæ dignitas curæ fuit, grauiter affecere, &c. Et paulò poſt, *Nunc* dicebant Principes *Dux Polonorum in ignominiam regni Teutonici, contra leges & iura maiorum; regium nomen regiúmque diadema affectauit* &c. Hæc Schaffnaburgenſis contra regem Bzouianum. Si Polonis rex fuiſſet auctoritate Ottonis tertij datus, certè contra leges & iura Germanorum rex Boleslaus regium nomen non vſurpaſſet.

Sed habeat ſuum etiam locum Otto Friſingenſis *inſignis*, vt ab Illuſtriſſimo Bellarmino laudatur, *nobilitate, pietate & doctrina.* Is libro 6. c. 28. in hæc verba ſcribit, *In primordio regni eius* Conradi qui anno Chriſti 1025. ſucceſſit S. Henrico Imperatori, *Boleslaus Poloniorum dux, qui ab anteceſſore ſuo Henrico pariter ſubiectus fuerat, ab Regno* Teutonico *diuidi, rexque per ſe vocari molitur. Qui non multo poſt moriens Miſiconem* ſiue Miecislaum *filium ſuum ſucceſſorem reliquit. Is dum patrem imitari*

Digitized by Google

tari cogitaret, inſuperque fratrem ſuum Ottonem expuliſſet, Rex Conradus *tam profugum in patriam reducturus, quàm de contumace* Miſicone *regni* Teutonici *iniuriam vindicaturus in Poloniam procinctum mouet. Miſico regis impetum ferre non valens, fractis quibuſdam regni inſignibus ad Vlricum Boemienſium ducem, qui & ipſe tunc temporis hoſtis regni* Teutonici *fuerat, fugit*, &c. *Otto verò* frater Miſiconis *liberè ducatu Poloniæ potitus diadema, quod pater eius ad ignominiam regni* Teutonici, cui tributarius erat dux Poloniæ, *illicitè fecerat, Regi* Conrado *miſit, ſeq; per omnia ditioni eius ſubiecit. Ipſe verò Otto non multò pòſt fraude armigeri ſui vita priuatus eſt. At Miſico ab Rege* Conrado *exul factus ad ipſum ſupplex venit, interuentúque reginæ diuiſa in tres partes prouincia, tertiam partem ipſe obtinuit. Exin prouincia illa Poloniæ Regibus noſtris* Teutonicis *ſub tributo ſeruire cogitur.* Hæc Otto Friſingenſis. Ad eũdem modum Baronius etiam poſt mortem Ottonis, an. 1004. N. 2. Boleslaum Poloniæ Ducem vocat. Poſt mortem item Henrici Imperatoris anno 1013. N. 2. & 3. Baronius eundem Boleslaum non niſi Ducem Poloniæ indigitat. Año tamen 1034. N. 33. & 1036. 3. 1079. 39. & 40. deſertus iam à Ditmaro non tã ex ſua quàm Dlugoſſi, quem ſequitur, ſentẽtia Polonis regem tribuit, non animaduerſo, quod Gregorius VII. anno 1075. *B*oleslaum nõ regem ſed Ducem Poloniorum appellat.

Super-

Superſunt duo in Bzouij teſte Cromero obſeruanda. Primum enim [a] ex ſuo Dlugoſſo (ex quo eadem Baronius [b] refert) ſcribit de Martyrio S. Stanislai, *Hæc vbi Romæ nunciata ſunt, Pontifex max. Gregorius eius nominis ſeptimus atrocitate rei commotus, toti Poloniæ ſacris interdixit: Boleslaum diris deuouit, regnúmque ipſi ſolenni ritu abrogauit. In poſterum quoque, ne quem epiſcopi regem iniuſſu ſuo vngerent & coronarent, edixit*, &c. Sed quàm vanum ſit, quod de regis & regni Polonici nomine venditat, nō modo ex aliis ſupra memoratis ſcriptoribus, ſed etiam ex ipſius Gregorij VII. ibidem allata epiſtolæ inſcriptione elucet, quam & Baronius anno 1075. citat, & Boleslaum non regem ſed Ducem Polonorum appellat, licet eundem parum conſtanter anno 1079. regem vocet.

a *14. p. 61 poſt m.*
b *an. 1079 XL. XLI.*
N. XXVII
N XXXIX XL.

Alterum eſt. Cromerus eodem pene loco ita ſcribit, *Mirari ſatis nequeo à Lamberto Schaffnaburgenſi, qui per hæc tempora vixit, & res geſtas Germanorum conſcripſit, memoriæ proditum eſſe, quod anno Chriſti 1077. dux Polonorum, qui per multos annos regibus Teuthonicis tributarius fuiſſet, cuiúsque regnū iam olim Teuthonum virtute ſubactum, atque in prouinciam redactum fuiſſet, repente in ſuperbiam elatus regiam dignitatem regiúmque nomen ſibi vſurpauerit, diadema impoſuerit, atque ipſo die natalis Domini à quindecim epiſcopis in regem ſit conſecratus. At-*

P. 62. Col. 2. ante m.

qui

qui plus ſeptuaginta annis ante hoc tempus Polonia regem cùm habuiſſet, & quidem Ottonis Ruffi Germani Imperatoris beneficio, per hoc tempus habere deſiit. Iam verò quindecim epiſcopos Poloniam, non modò tunc, ſed vnquam omnino habuiſſe, ipſa rei euidentia falſum eſſe conuincitur. Hæc ille.

At ego mirari ſatis nequeo, Cromerum non ſaltem Gregorianæ illius epiſtolæ inſcriptionem inſpexiſſe; quam ſi inſpexiſſet, deſerto Dlugoſſo Boleslaum non regem ſed ducem fuiſſe didiciſſet. De 15. Epiſcopis facile potuit error irrepere in numerum notis Arabicis à Lamberto expreſſum, neque inde conſequens eſt, reliquam quoque Lamberti narrationem falſam eſſe.

Quæ cum ita ſeſe habeant, non eſt quod cœcus cœco Bzouius lectori ducatum præſtet, ne ambo in foueam cadant. Reſeruet in multos ſubſequentes annos ſui regni diadema, & fateatur ſe hiſtoriæ fabulam ſubſtituiſſe, cùm ſcripſit, Ottonem Imperatorem regium diadema Boleslao dediſſe, præſente ſedis Apoſtolicæ Legato S. R. E. Archidiacono Cardinali; cuius nomen ſcio cur omiſeris. Nec vero ideo fabula iſthæc non eſt fabula, quod etiam à Dlugoſſo & Cromero in ſuorum gratiam credita ſcriptáque ſit. Sed bellum eſt quod addit Bzouius, ab Ottone Archiepiſcopalem dignitatem Gneſnenſi Eccleſiæ non irritatam eſſe; ſi-

S nedu-

ne dubio, mi *Bzoui*, non irritauit is ipſus eo tempore, quo dedit. Fuiſſe autem Gneſnenſem Eccleſiam metropolitanam ante Ottonem tertium, tuum eſt figmentum, & iam exploſum.

§. 3. An. Bzouio auctore 1005. N. 1. *Henricus Rex* Ditm. lib. 6. Papia. ſanctus *Hardugium quendam Longobardorum Regis nomen ſibi vſurpantem in Italiam veniens, deuicit, regiúmque diadema ſuſcepit, & poſtea in Germaniam reuertens, Henricum Marchionem perduellem precibus Godeſcalci Friſingenſis Epiſcopi in gratiam recepit. Deinde ad Synodum Tremonienſem pro reformatione cleri indictam acceßit: atque diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtitutione, viam ſibi ad imperium aperuit. Ditmarus ſomniat Boleſlaũ Poloniæ Ducẽ ab eo tunc eſſe deuictũ, cùm è contrario potius Boleſlaus Poloniæ Rex victor vbique, & ſemper de Boëmis & Saxonib.* Crom. lib. 3 *trophæa retulerit. Cũ enim ea recuperaturus, quæ ſub Ottone amiſerant Poloni, exercitum in aciem eduxiſſet, neque hoſtis pugnæ copiam faceret, in auias ſyluas ac impeditas abditus paludes, ille longè latéque excurrit, rapidi torrentis in modum obuia quæque ſternens & euertens, ita vt Magdeburgum, Miſna, Hiltenſeimum, Mechelburgum exitiali illo incendio Polonorum conſumerentur. Cúmque Henricus Bauarus ab Italicis & Gallicis prælijs reuerſus, bellum ſiue inſtauraſſet, ſiue depellere cogitaſſet, necquicquam eo proficiente, hi qui Slauici erant nominis, certatim Boleſlao,*

partim

partim propter cognationem linguæ & ſanguinis, partim clementia & liberalitate eius inuitati, partim etiã metu adacti, ſeſe dedebãt. Ita is hoſtico vexato, vaſtatóq; cum nuſquã in aciẽ hoſtes prodirent, & ſua quoq; auertendorum Polonorũ cauſa ipſi exurerent, omnem oram illã latiſſimã, quæ olim à Polonis poſſeſſa fuerat, vſq; ad Albim & Salã fluuios, & Cherſoneſum Cymbricam, magna celeritate in ſuã poteſtatem redegit: Principib. Slauis & Vindis Polonici generis, qui adhuc ſupererant, Saxonũ dominatione liberatis nullum tributum impoſuit. Ac cætera quidem eos ſui iuris eſſe paſſus eſt; Sacramento tantum in ſua & ſucceſſorũ ſuorum Regum Poloniæ verba adegit, & ad ſuſcipiendã religionem Chriſtianã, quã propagare quoquouerſus inprimis ſtudebat, adduxit: eos videlicet reſiduos qui hucuſq; nondũ cum reliquis fidẽ Chriſti ſuſceperant. Poſuit autẽ Boleſlaus Rex in ripa Salæ tres columnas ferreas, regni Poloniæ limites, & victoriæ ſuæ monimẽtum. Tantum itaq; abeſt, vt Henricus Boleſlaũ triumpharit, quod Hagecus fingebat, quin potius Boleſlaus victoriæ trophæa longiſſimè promouerit: adiutore Deo pro cuius fidei et religionis amplificatione depugnabat.*

* Dania eſt Cromero.

Hæc *Bzouius* qui alienos à S. Henrico victos concedit, ſuos negat honoris ergo. Somniantem fingit Ditmarum & ſomniat ipſe, negátq; ab Henrico ſancto Polonum deuictũ, ac vectigalẽ factum; imò verò Boleslaus Poloniæ Rex victor, ait, vbique

& ſemper de Bohemis & Saxonibus trophæa retulit; ſed quæſo, quo auctore hæc ſcribit? partim nullo, partim Cromero nuper nato; & perinde eſt, ac ſi olim quid Liuius poſteris commendaſſet, quod Iouius poſtmodum multis ſeculis poſterior pernegaſſet: ego ſi huic crederem, deſerto Liuio, fatuus meritò haberer. Nil Cromerus ex ſua ſententia de Henrico bellum aduerſus Polonos inſtaurare vel depellere cogitante, nil de Boleslao victore ſemper & vbique de Saxonibus trophæa referente. Opida, quæ Poloni abſente Henrico vaſtarunt, inſtaurata dicit, non bella. Aliorum deinde de Henrici cum Boleslao congreſſibus ſententiam ſed victoris non victi memorat, & certa in dubium vocat, dicítque, neſcire ſe quo authore Hagecus Boleslaum ab Henrico prodiderit triumphatum; vereri, ne imprudens Henrico & Boleslao accommodarit, quæ de aliis ſcripta ſint, & quidem affingens nonnihil, ne dicam, inquit, multa de ſuo. At *Bzouius* rotundè negat, quicquam Henricum bello aduerſus *B*oleslaum profeciſſe; non modo aliquid aut multum, ſed totam Boleslai ab Henrico debellati narrationem ab Hageco confictam dicere audet, & victorem victo ſuccubuiſſe contendit. Quæ omnia vt perſpicias, en Cromeri verba, *Saxones Henrico primo Saxone rege, & filio eius Ottone primo eius nominis Imperatore Romano regnantibus in Ger-*

Pag. 41. ante m.

P. 41 Col. 1. ante m.

Germania pleramque Poloniæ oram, quam Leſcum III. inter 20. filios partitum eſſe ſupra narrauimus, partim armis, partim proditione Tugumiri ducis, ditioni ſuæ ſubiecerant, quemadmodum ſuperius expoſuimus. In hos ergo duxit Boleſlaus & ſub ſignis progreditur, ſperans hoſtes ad dimicationem prælij venturos eſſe. Quæ poſtquam eum opinio fefellit, (nam hoſtes in auias ſyluas ac impeditas paludes ſeſe abdiderant) longe latéque excurrit, rapidi torrentis in modum obuia quæque ſternens & euertens: ita vt Meideburgum, ſiue Magdeburgum, Miſna, Hiltenſemium, Mechelburgum, inſignia oppida, exitiali illa quaſi inundatione & incendio Polonorum conſumerentur. Quæ Henricus Bauarus Imperator, de quo ſuperius mentionem fecimus, aliquantò pòſt à Gallicis & Italicis bellis, quibus tunc impeditus abſuerat, reuerſus inſtaurauit. Porro qui Polonici ſeu Slaui erant nominis, certatim Boleſlao partim propter cognationem linguæ & ſanguinis, partim clementia & liberalitate eius inuitati, partim etiam metu adacti ſeſe dedebant. Ita is hoſtico vexato, vaſtatóque, cùm nuſquam in aciem prodirent hoſtes, & ſua quoque auertendorum noſtrorum cauſa ipſi exurerent, omnem illam oram latiſſimam, quæ olim à Slauis & Polonis poſſeſſa fuerat, vſque ad Albim & Salam fluuios & Cherſoneſum Cymbricam, magna celeritate in ſuam poteſtatem redegit: Principibus Slauis & Vindis Po-

Digitized by Google

lonici generis qui adhuc ſupererant, Saxonum dominatu liberatis, nullum tributum impoſuit. Ac cetera quidem eos ſui iuris eſſe paſſus eſt, ſacramento tantùm in ſua & ſucceſſorum ſuorum regum Poloniæ verba adegit & obſtrinxit, & ad ſuſcipiendam religionem Chriſtianam, quam propagare quoquo verſus inprimis ſtudebat, adduxit. Tametſi Henrici Bauari Imperatoris armis eos Chriſtianos factos eſſe apud Bonfinium Vngaricarum rerum ſcriptorem, & alios quoſdam hiſtoricos reperio: vúltq́ idem Bonfinius, Boëmos quoque & Polonos vniuersè ab eodem Imperatore armis ad profeſſionem Chriſti adductos eſſe. Verùm facilè id ratio temporum refutat, cùm vtramque gentem longè ante hunc Imperatorem, religionẽ Chriſtianam ſuſcepiſſe conſtet. Ille enim anno Chriſti milleſimo ac tertio imperare cœpit. Poſuit autem Boleslaus rex itidem in ripa Salæ tres columnas ferreas victoriæ ſuæ monimentum, & regni Poloniæ limites. Venceslaus Hagecus, neſcio quo authore, ſcribit, Henricum Imperatorem crebris Boleslai, in Marchiam Brandeburgenſem & Saxoniam excurſionibus, durioriq́ reſponſo legatis ſuis ab inſtituto eum reuocantibus dato commotũ, cum magnis copiis ingreſſum in Poloniam, haud longè à Cracouia abfuiſſe. Ibique duobus præliis victorem Boleslaum, dum pertinacius fugientes Germanos perſequitur, captum, Henricóq́ traditum, ingenti pecunia ſeſe redemiſſe. Verùm viderit ille, ne imprudens

prudens

Digitized by Google

*prudens is Henrico & Boleslao accommodarit, quæ de aliis memoria prodita ſunt à noſtris: & quidẽ affingens nonnihil, ne dicã multa de ſuo, quæ nos ſuo loco attingemus. Aliorum quidem quotquot de Henrico hoc literis aliquid mandarunt, nemo quicquã eiuſmodi de eo ſcriptum reliquit, quod ego ſciã, præter Lambertum Schaffnaburgenſem: qui tamẽ Henricum bis duxiſſe modò exercitum contra Polonos memorat, nimirum anno Chriſti 1015. & iterum anno 1017. Niſi fortè huc detorquendum eſſe duxit Hagecus id, quod apud H. Mutium * vel alium quempiã Germanum ſcriptorem legerat: Henricum hunc exercitũ duxiſſe in Boëmos & Slauos, & cum his ſæpius congreſſum, ſemper victorem diſceſſiſſe, admodum exiguã ſuorum iacturam paſſum. eos verò prælio præter alia maiore poſtremò victos pacem petiuiſſe, & iugum admiſiſſe. Subiugatis autem Boëmis, & eorum Principe Boleslao, quem Mutius Bodislaum deprauatè vocat, apud illos iura & leges in rebus profanis ac ſacris ordinaſſe. Hæc ipſis ferè Mutij verbis relata, viderit æquus lector, an ad Boleslaum noſtrum & Polonos pertineant: nos ad curriculum noſtrum reuertamur.*

* *Mutius eſt P. 108. 52.*

Tantum Cromerus, in quo ſatis magnam prodit imperitiam, cùm fatetur, neminẽ ſe ſcriptorem ſcire, qui Boleslaum ab Henrico victum affirmet, niſi Lambertũ & Mutiũ, cũ non modò Ditmarus, Marianus & ſcriptores vitæ S. Henr. quos Cromerus

non

non vidit; ſed etiam Friſingenſis quem vidit, eam victoriam memorent. Quòd verò de Mutij loco, an hanc ad rem pertineat, dubitat, nodum planè in ſcirpo quærit, cum nil ſit clarius, ſi ad alios quoque ſcriptores, qui Polonorum non Slauorum nomine vtuntur, reſpicias.

Sed quid de hoc Cromerus ſenſerit, noſtra minus intereſt: Bzouius certè locum Mutij ad bellum ab Henrico contra Polonos ſuſceptum refert, cum ait, Henricum ab Italicis & Gallicis præliis reuerſum, ſiue inſtauraſſe, ſiue depellere cogitaſſe bellum aduerſus Boleslaum Polonum. idem enim belli eius tempus Mutius deſignat, *Gallia*, inquit, *ſedata ſingulari felicitate & virtute, exercitum victorem ducit in rebelles Boëmos & Sclauos, cum quibus ſæpius congreſſus, ſemper victor diſcedit, admodum exiguam ſuorum iacturam paſſus* &c. Videt ergo Bzouius, Mutij narrationem ad Polonos pertinere, ſed eum omnéſque narrationis eiuſdem auctores pariter ſomniare dicet. Videamus tamen reliquorum ſingulos.

An tu mentiri arbitraris Ditmarum, Bzoui, qui tum vixit, & rei actæ pœne præſens fuit? Atqui de nota longè meliore eum commendat Baronius *N. II. f.* anno 1002. cum allatam ex eo narrationem iſtis concludit verbis, *Hæc Ditmarus, vir ſanctitate præſtans qui vel leue quoduis mendacium non ſecus ac*

capi-

capitale piaculum, vt profitetur, exhorruit. Qui igitur *B*aronio vir eſt ſanctitate pręſtans, Bzouio ſomniator eſt, imò mendax & perfidus, cum rẽ ſui temporis ignorare nequiuerit. Legatur Ditmar⁹, chrõ. l. 6. p. 62. & ſequentibus, vbi nil de præliis feliciter à Boleslao initis ſed de fuga & petitione gratiæ ab Henrico impetrandæ. Etenim poſt longam itineris narrationem hæc habet, *Inde mox imparibus Ducibus inæquales turmæ* Henrici & Boleslai *vſque ad Oderã fluuium prouenientes, fixerunt tentoria iuxta amnem, quæ Bober dicitur Slauonicè, Caſtor Latinè. Quos Bolizlauus munitis littorib. præfati fluminis cũ exercitu grandi in Croſno ſedens, vllo modo trãſire prohibuit. Sed cũ Rex* Henricus *VII. dies ibidem moratus naues atq; pontes pararet, diuinus reſpectus miſsis ſpeculatoribus ſuis vadum oſtendit optimum. Quem ſex legiones in ipſo crepuſculo iuſſu regis intrantes, incolumes eo fruuntur**. *Quod eminus agnoſcẽtes Bolizlaui custodes, triſte nuncium ac incredibile ſeniori ſuimet Bolizlauo celeriter detulerunt. Hic tandem per tres vel amplius legatos certus effectus, amotis properè caſtris, ipſe cũ ſuis, pluribus ibidẽ relictis rebus fugit. Id Rex cũ ſuis cautè conſiderans, Chriſto laudes cũ clero & omni populo alta voce cecinit, & cũ ſecuritate flumẽ pertranſiit. Hi a. qui præceſſerunt cùm Luiticios diu tardantes expectarent, euenit, vt hoſtes in tentoriis improuiſos opprimerent. Quos noſtri alacriter inſequuti velut*

P. 65. 47 f

* f. ferũtur

fugaces ceruos perſequi cùm non valerent, ad conſocios reuertuntur. Profectus eſt inde Rex, & vſque ad Abbatiam, quæ Mezerizi dicitur, perueniens, annualem ibi Thebaicæ legionis feſtiuitatem, qua maxima tunc veneratione potuit, complere ſtuduit, & ne monaſterium hoc, ac abſentium manſiones monachorum, aliquam à ſuis pateretur moleſtiam, ſtuduit prohibere. Dehinc hoſtem in nulla ſuimet vrbium pernoctare præſumentem, proxima quæq; vaſtando perſequitur, & non longiùs quàm duo milliaria ab vrbe Poſnani, rogatus à ſuis primatibus conſedit. Exercitus autem in colligendis frugibus, cæteriſque rebus neceſſariis diuiſus, magnum ab inſidiantibus inimicis ſuſtinuit damnum. Interim perfidos interceſſores, regis gratiam Bolizlauus petiit, & exaudiri mox promeruit. Tagmo Archiepiſcopus cum aliis familiaribus regis ad ciuitatem prædictam à Bolizlauo rogatus, venit, & cum iuramentis, ac commendationibus condignis firma pacis fœdera apud eundem pepigit.

Talia Ditmarus cui ſuffragatur non Marianus Scotus ſolùm (eius verba §. præcedente attulimus) ſed & vitæ S. Henrici ſcriptor & pridem à Caniſio *Pag. 315.* t. 6. antiq. lect. & nuper ab eximio Societatis Ieſu *§. 1. m.* Theologo Iacobo Gretſero editus cap. 3. 4. & 5. Idem tradit Otto Friſingenſis loco paulò antè laudato. Atque idipſum pro vero habet *B*aronius ad *N. 11.* annum Domini 1005. *Quomodo,* inquit, *Deo propitio,*

pitio, hoſte debellato Boleſlao Poloniæ duce, idem Henricus diem Natiuitatis S. Mariæ &c. Hæc Baronius compendio, quæ abbreuiator Bzouius, vt vidimus, in diſpendium redegit. Sed audiamus plura ex Baronio, *Annus*, inquit, *ſequitur Redemptoris decimus tertius ſupra milleſimum indictione vndecima, quo Henricus in Italiam deſcendens, Romam cum exercitu venit circa anni huius finem: nam ad vndecimum Kal. Octobr. ex Germania ſuperiori receßiſſe Romam venturũ, teſtatur qui tunc aderat Ditmarus, quem in primis præſtat audire. Ait enim:* *Rex autem ad Occidentales pergens regiones, iter ſuum ad Longobardum* lib. 6. *diſpoſuit, & iterum ad nos* nempe in Saxoniam, *repedauit: & inde XI. Kal. Octob. diſcedens per Bauariorum fines atque Sueuorum vſque ad locum qui dicitur ..... properauit, & inde vſque ad Romam Rex ſine omni ſcrupulo, Regina comitante, venit.*

Ad ſupplementum huius itineris Bolizlauus antea inuitatus nil aſpirauit, & in bene promiſſis more ſolito mendax apparuit. Inſuper antea domino Papæ queſtus eſt per epiſtolæ portitorem, quod non liceret ſibi propter latentes Regis inſidias promiſſum principi Apoſtolorum Petro perſoluere cenſum. Tunc verò miſſis illò nunciis, tacitus rimatur, qualiter Rex in his partibus haberetur, quoſcũq; potuit, ab eius gratia per hos amouere conatus.

Hæc vt intelligantur, monendus lector, quod præter alios Henricus Rex infeſtiores hos paſſus eſt Principes, Ducem Poloniæ Boleslaum, & Harduigum in Italia regem Longobardorũ: adeò vt cum ſæpius idem Henricus cogitauerit Romam, & ſe ad iter accinxerit, per eundem Boleslaum, infeſtantem regiones finitimas Regi ſubiectas, cogeretur à cœpto deſiſtere, atque

Digitized by Google

que redire in Germaniam. Erant igitur fœdere ſimul iuncti hi, quos diximus, dux Poloniæ, Réxque Longobardorum aduerſus eundem regem maximè pium. Porrò Rex Longobardorum alias expertus Henrici vires (quod ſuperius ſuo loco eſt demonſtratum) non auſus eſt modò eidem regi Romam venienti obſiſtere, ſed magis eum ſtuduit obſequiis demereri. De quo Ditmarus ſubiicit iſta, Huius, nempe Boleslai, compar atque collega Harduigus à Longobardis falsò Rex appellatus aduentum magni regis, & potentiam exercitus doluit: & quia ſuis viribus huic ad nocendum diffidit, in caſtelli munitionem ſe protinus recepit, hoc ſolum ingemiſcens, quod Rex ad maiorem tunc vocatus acceſſit honorem nempe ad capeſſendum Imperiū vocatus à Benedicto Pōtifice. Pergit, Poſt longam animi exaſtuantis deliberationem Legatos ad Regem miſit, qui comitatum quendam ſibi dari peterent, & coronam ſuimet cum filiis ei redditurum veraciter promitterent. Hoc cum conſilio quorundam acquieſcens facere Rex noluiſſet, vt inſequentibus enucleabo, ad magnum ſuis familiaribus id prouenire damnum id poſtea perſenſit. Hæc Ditmarus.

Hactenus Baronius, qui, vt video, etiam ſomniauit cū antiquis. Bzouius cum ſuo nouitio Homero vigilat, & quidquid æſtimat parùm decere ſuos populares, inficias it, eſto verum ſit. Adde quod Radeuicus Friſingenſis Canonicus, Ottoni Epiſcopo Friſingenſi ferme ſynchronus recenſet, quemadmodum Fridericus I. Imperator eiecti legitimi Polonorum Ducis (ſic enim vocat, non regem.) Lobizlai, atque etiam ſacramenti fidelitatis tributíque Imperio negati cauſa Poloniam cum

lib. 1. c. 1. 2. 3. 4. 5.

exer-

exercitu ingreſſus, Polonos fugauerit, Ducémque Bolezlaum ad deditionem adegerit. *Bolezlaus,* inquit, *dux rebus ſuis vltimum fatum cernens imminere, cum totam terram populúmque ſuum periclitari, & prope eſſe ad interitum cerneret: Barones & Principes noſtros, tum per nuncios, tum in propria perſona conueniens, multis precibus, multis lachrymis, multis quoque promiſſionibus, vt ſub iugum Romanæ ditionis, & in gratiam principis recipi mereretur poſtulauit. Itaque in prædicto territorio epiſcopatus Poſznanienſis, circa partes Criſgouuæ, præfatus Dux pedibus Imperatoris prouolutus, interuentu principum, hoc tenore in gratiam receptus eſt. Primò iurauit pro ſe, & pro omnibus Polonis, quod frater ſuus exul ad ignominiam Romani Imperij non fuerit expulſus. Deinde pollicitus eſt dare duo millia marcarum Imperatori, & principib. mille, Imperatrici XX. marcas auri, Curiæ CC. marcas argenti, ob eam negligentiam quod ad Curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem. Iurauit quoque Italicam expeditionem. Deinde iurauit, vt in proxima natiuitate Domini ad Curiam Magdeburg celebrandam venire deberet, iuxta iudicium & ſententiam Polonorum & Boëmorũ, ſuper querimonia fratris ſui expulſi plenariè reſponſurus. Sícque iurata principi fidelitate, ſicut mos eſt, & de ſupradictis omnibus fideliter adim-* Cap. 50. Cap. 51.

plendis acceptis obſidibus, Gazimero videlicet fratre ducis & aliis nobilibus, glorioſam adeptus victoriam, Deo duce feliciter Auguſtus reuertitur. Ipſe tamen dux dolis plenus, & acerbam dominationis cupidinem mente gerens, iamiã ſuis promiſsionib. (vt poſtmodum patuit) moliebatur inſidias. Nam nec ad Curiam venit, nec ſufficientes pro ſe procuratores miſit: Italicam quoque expeditionem, violato ſacramento mentitus eſt. Hæc Radeuicus, ex quibus *Bz*ouius pulcherrimam, ſi libuiſſet, ad Baronianos annales acceſſionem potuiſſet afferre.

Veniamus tandem ad belliſſimam Bzouij coronidem de Boleslao, quem ait victoriæ trophæa longiſſimè promouiſſe, adiutore Deo, pro cuius fidei & religionis amplificatione depugnarit. Teſtem adducit Cromerum, qui, vt ſupra vidimus, etſi quoſdam infideles ad Chriſtianam religionem à Boleslao adductos ſcribit, fatetur tamen eoſdem Bonfinio & aliis quibuſdam auctoribus Henrici Bauari Imperatoris armis Chriſtianos eſſe factos. Quod *Bz*ouius omittendum putauit, ſatis gnarus, æquum lectorem pluribus & inter hos *B*onfinio Italo pro Germanico Imperatore ſtantibus aſſenſurum potius quam vni Polono. Nec refert, quod idem Bonfinius, vt Cromerus ait, vult Boëmos quoque & Polonos vniuersè ab eodem imperatore armis ad Chriſti profeſſionem adductos eſſe;

cum

cum vtramque gentem longè ante hunc imperatorem, religionem Chriſtianam ſuſcepiſſe conſtet. Facilè enim reſpondetur partem priùs ſuſcepiſſe, partem ac fortaſſe maiorem poſteriùs. Sic & *B*onifacius dicitur Apoſtolus Germaniæ, quaſi Germanos vniuersè Chriſto adiunxiſſet (hoc enim ſignificatu vox *Apoſtolus* vſurpatur) & tamen diu ante Bonifacium multi Germani Chriſto nomen dederant. Sed hæc per tranſennam.

Verùm Bzouius etſi religionis in fine cauſam prætendit, principio tamen aliam proponit, recuperandi videlicet quæ ſub Ottone I. amiſiſſent Poloni. Ea qualis ſit in ipſo eius auctore Cromero, qui rem etiam ad Henricum Ottonis patrem refert, perſpiciamus. Is igitur ait, Leſco quarto adoleſcentulo moderatores adiũctos, *quorum*, inquit, *incuria & ignauia bellum aduerſus Slauos ſeu Venedos, Pomeranos, & Caſſubios à Ziemouito ſuſceptum & nonnullo iam ſucceſſu proſpero geſtũ, intermiſſum eſt. Quod ne ipſe quidem Leſcus poſtea cùm adoleuiſſet, vnquam proſecutus eſt, quietis & ocij, quàm bellicæ gloriæ amantior, contentus eo quem à patre per manus acceperat, principatu. Quin & ipſe & filius eius Ziemomyſlus, de quo mox dicemus, habuit eos derelictui, cum Germanis bellum gerentes. Itaque vehementer ij tunc diuexati ſunt, & attriti, quemadmodum* W*itichindus memorat ab Henrico Cæſare, ſiue* lib. 2. pag. 28. Col. 2 f

rege

rege Germanorum, qui Conrado ſucceßit: & nonnulli ex iis cum deditionem feciſſent: tributarij facti, Sgorelecia, quod Brennaburgum ſeu Brandeburgum Germani vocarunt, & Grona vrbes captæ. Cúmque paulò pòſt quidam ex eis rebellaſſent, apud Lunchinos vrbem maritimam ab exercitu & legatis eiuſdem regis ad internecionem profligati ſunt, ita vt ad ducenta millia hominum eo prælio periiſſe putaretur. Boëmi quoque ab eodem Henrico deuicti in fide eius duce Venceslao, viro pio & ſancto, permanſerunt, donec Boleslaus, interfecto per ſummum ſcelus fratre Venceslao, dominatum inuaſit, & Ottoni eius nominis primo Cæſari Henrici filio, ſemel atque iterum rebellauit, Germanos magna ſtrage vicit, Boemiáque eiecit. Sed & ipſe tandem bello fractus, & Brandeburgum cum omni regione Slauorum ſeu Vinidarum citra Odram cum defeciſſet, proditione Tugumiri ducis, pecunia corrupti in poteſtatem Cæſaris reuenit. Nec ita tamen gens ea quieuit, & Germanorum iugum pertulit, quin ſubinde eis negocium faceſſeret. Leſco certè Polonorum Principi & Ziemomyslo filio nihil horum curæ fuit.

Hæc Cromerus à quo, vti & à Bzouio, velim mihi in ſuis ipſius verbis monſtrari Henricum & Ottonem Cæſarem Polonis aliquid iniuſto bello eripuiſſe. quanquam enim id nec Bzouius, neque loco altero ſupra allato Cromerus diſertè dicunt, eo ta-

eo tamen ſenſu loqui ipſos neceſſe eſt, niſi iniquũ Saxonibus & Henrico ſancto bellum à Boleslao illatum fateantur: quod non facilè facient, præſertim Bzouius; qui potius videri vult, ſanctum Henricum res Polonorum & per iniuriam retinuiſſe & iniuſto bello defendiſſe.

Sed neque Bzouius ſuis locis vllam Polonis ab Henrico & Ottone illatam iniuriam memorat, quin contra laudat vtrumq;, Henricum quidem anno 930. quod Northmannorum & Abroditarũ regibus & populis bello ſuperatis, fidem catholicam & tributum imperarit, qua occaſione S. Vnnus Archiepiſcopus Hamburgenſis Danis, Suecis & alijs *B*althici litoris habitatoribus prædicarit. Ottonem verò anno 949. quod Haraldo Danorũ principe atque alijs gentibus debellatis, fidem catholicã in Fionia, Selandia, Scandenauia, ac Suecia erectis Epiſcopatibus propagarit. *N. II.*

§. 4. Bzouius anno 1013 ait, *Henricus Rex à Benedicto Pontifice ad defenſionem iurium Eccleſiæ inuitatus, Romanum iter aggreſſus, Italiam ſine vllo impedimento ingreſſus eſt, quamquam Harduigus, Regis Longobardorum nomine vſurpato, plurima conaretur: præcipuè ne titulum Imperatoris, quem ille ambiebat, conſequeretur. Boleslaus Poloniæ Rex pollicitus fuerat, ſe comitem itineris fore Henrico. Sed ſiue occaſionem rei Polonæ per abſentiam Henrici am-* *N. I. Ditmar. lib. 6. & Glaber l. 1.*

 pliſi-

plificandæ captaſſet, ſeu verius ab inſidiis Henrici defendendæ non neglexiſſet; ſiue quod bello Rhutenorum impeditus fuiſſet, maxima iniuria à Ditmaro mendacis titulo inſignitus, non iuit: neque votiuum cenſum, quemadmodum cenſum Ditmarus nuncupauit, Romam miſit: quem ſibi propter latentes regis Henrici inſidias non liceret perſolui.

Bzouius vt defendat ducem ſuum Boleslaum, quem regem vocat, in dominum ſuum nempe in Henricum Cæſarem perfidè machinantem, ſanctiſſimum virum inſidiarũ accuſat, vti & Ditmarum Epiſcopũ laudatiſſimæ vitæ iniuriarum reum agit. *Maxima*, ait, *iniuria à Ditmaro* Boleslaus *mẽdacis titulo inſignitur.* Audes tu, Bzoui, tantum virum, varius ipſe, reprehendere in tanta luce innocentiæ? Quæ hæc eſt iniuria, quam intulit? Promiſit *B*oleslaus ſeſe ſocium Regi futurum in Italiam, & non præſtitit, quæro, an verax fuerit? Quid videtur tibi, *Bzoui*? an tu verax es cum polliceris ſcribere verum, & non præſtas? an iniuriam tibi facio, cum te ob id mendacem nomino? Vanæ porro ſunt quas pro Boleslao tuo adfers excuſationes, tum quia ex tuo eas cerebro fingis (neque enim auctores à te nominati quicquam de eis meminere) tum quia duæ priores nullo iure nituntur. Neque enim occaſione rei amplificandæ occupare aliena & violare fidem fas eſt, neque S. Henricus Po-

loniæ

loniæ ſibi ſubiectæ inſidiabatur, quod ei per ſummam iniuriam Bzouius impingit; neque à Vaſallo contra Dominum defendenda erat. At fortaſſe iniuria eſt, vſurpaſſe Ditmarum vocabulum *mendax* contra Ducem, quia modeſtius loqui decebat de Principe. Rectè habet; at ſi iſta ſumma iniuria eſt, tu maioris iniuriæ reus es, qui maiorem principem, Cæſarē nempe Ludouicum huiusmodi verbo ſæpe violaſti. Sed bene habet quod Baronius cū Ditmaro conſentiat; eodem honore quo hunc tractas, & illum afficis, bene meritus de vtroque.

§. 5. Anno Chriſti 1013. N. 2. Bzouius ex opportunitate eiuſdem digreſſiunculæ, dum de cenſu, quem Polonia ab initio ſuæ ad Chriſtū conuerſionis ſpōte vouerat perſoluere S. Petro & ſedi Apoſtolicę, egregiū ſpecimen edit, quàm peritus ſit nominum & ſeriei Regū ſuorū itémq; chronologiæ. Eius ſunt hæc verba, *In id iuris dati & accepti Romana Eccleſia, cùm non inquiſiuiſſet Wratiſlaus Poloniæ, quemadmodum hoc tempore haud æquis non æquiores inquirere ſolent, pietatem illius Greg. VII. aliquando eximia laude habuit prædicare, quod is cenſus annui centum marchas argenti fideliter præſentaſſet.* lib. 2. ep. 7.
Obſeruet lector verba, quibus ait Gregorium VII. prædicare eximia laude Wratislaū Poloniæ quod centum marchas præſentaſſet. Scilicet mi Bzoui, Pontifex Polonum Regem prædicauit; Wratislaus

V 2 iſte

iſte tam non Poloniæ Dux aut Rex fuit quam hodie Rex Daniæ non eſt Rex Poloniæ. Quod apud Baronium lapſus calami vel librarij fuit, hoc apud te eſt lapſus cerebri, quia tu non ſolùm noſſe debebas populares tuos, verùm etiam errata in Baroniani operis calce conſulere, vbi inueniſſes, *Bohemiæ* legendum pro *Poloniæ*. Quamquam credibile eſt, Baronium ſcripſiſſe *Polonia* ídque rectè (nec enim Bohemia ad eius propoſitum faciebat) & adnotaſſe deſcribendum principium epiſtolæ 73. ad Ducem Poloniæ, librarium autem non animaduerſo ternario numero ad ſeptenarium adiecto, exſcripſiſſe principium epiſtolæ 7. ad Ducem Bohemiæ; Baronium denique eo loco iam excuſo & relecto aduertiſſe, epiſtolam non Poloniæ ſed Bohemiæ Duci ſcriptam, ídque in errata retuliſſe. Quæſo te inſpice epiſtolam hanc Gregorij VII. & intuere inſcriptionem Gregorianam; eſt iſta, *Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei Vuratizlao Duci Boëmiorum ſalutem*, &c. Inſpice præterea finem eiuſdem epiſtolæ, vbi leges, *Dat. Romæ 10. Kal. Octob. indict. 13.* hoc eſt anno 1075. quo anno apud Polonos nullus Wratislaus, ſed Boleslaus II. imperitauit. Vis vti hoc firmem? faxo quidem tua auctoritate. Relege hunc annum apud te N. VI. vbi ais Gregorium Papam legatos in Poloniã miſiſſe, *qui res Eccleſiarũ componerent, metropolim certam*

tam ſtabilirent, Boleſlaóque auctores forent, vt Ruſſis ablata reſtituere vellet. En Poloniæ moderatorem huius añi Boleslaũ qui quadriennio pòſt ſanctiſſimum virũ Stanislaũ crudeli morte martyrẽ fecit. Vbi iã eſt tuus Wratislaus in Polonia? expecto reſponſum Bzoui: quanquã non expecto: non dabis.

§. 6. Anno Chriſti 1102. N. 2. errat Bzouius & literas à Pontifice Paſchali ad Archiepiſcopũ Polonorum datas nobis fruſtra obtrudit: harũ literarũ hoc eſt exordium, *Paſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei N. Polonorum Archiepiſcopo. Significaſti, frater chariſſime, Regẽ & regni maiores admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocriſariis noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi Sacramentum, quod à nobis ſcriptum detulerant, iurares*, &c. Et in fine, *Hæc Paſchalis Archiepiſcopo Polonorum.* Nugę meræ; nam hanc epiſtolã Paſchalis miſit ad Archiepiſcopum Hungariæ. An tibi deſunt oculi cum monumenta veterum voluis? An non Pontifex ſignificat ſe ſcribere ad Archiepiſcopũ terræ, quæ Regnũ ſit & Regem habeat? atqui cum aliorum tum Cromeri lib. 11. teſtificatione in Polonia ab año Chriſti 1079. quo Boleslaus B. Stanislaum occidit, vſque ad annum 1295. hoc eſt per 215. annos poſt cædem martyris Stanislai nullus omnino Polonorũ Princeps fuit, qui Rex diceretur ſiue à Romano Pontifice, ſiue à Cæſare, ſiue ab alijs Regibus, imo ab ipſis P. 112. m.

 Polo-

Polonorum regnũ quã diu vacauerit.

Polonis. *Erat autem,* inquit Cromerus, *magno & excelſo animo Primiſlus, regnúmque ducentis quindecim annis apud Polonos intermiſſum non modò non aſpernabatur, ſed appetebat etiam & ambiebat. Igitur anno Chriſti 1295. indictis Gneſnam, vetuſtam totius Poloniæ metropolim, comitijs, Primiſlus rex creatur triceſimum octauum annum agens: & mox viceſima ſexta die Junii ſolenni ritu inunctus, diadema regiũ ab Iacobo Suinca archiepiſcopo Gneſnenſi accepit.*

Ante med.

Deinde Pontifex in ijſdem literis conqueritur inter cætera & obijcit Archiepiſcopo, quod Epiſcopi transferantur nõ auctoritate apoſtolica, ſed nutu Regis, his inter alia verbis, *Quid ſuper Epiſcoporum tranſlationibus loquar, quæ apud vos non authoritate apoſtolica, ſed nutu Regis præſumũtur?* Et poſt medium, *Nunquid Hungarico Principi* tuo *dictum eſt, Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos?* En Bzoui, ad quem & de quo Paſchalis ſcribat. Ad Hungaricum Archiepiſcopum & de Hungarico Principe ſiue Rege, quo cum, vt vides, ei non conueniebat ob translationem Epiſcoporũ. Nempe tibi curæ non eſt bene ſcribere ſed multum, & ſcriptionis celeritate ac mole gloriam apud imperitos quærere. Si non cæco impetu hallucinantem Baronium ſecutus eſſes, ſed literas, quas lectorem lege-

legere voluiſti, ipſe legiſſes; nec tu deceptus eſſes, nec alios decepiſſes, niſi ſciens prudens etiam falſa de Polonis tuis ſcribere voluiſſes. quanquam non omnes decipis, quia non omnes tibi credunt. Expunge ergo ex inſcriptione literarum Pontificiarum vocabulum *Polonorum*, & ſubſtitue *Hungarorum*, vt ipſius epiſtolæ verba docent. Prętereo hyperbolicam & vanam illam panegyrin, quam ſcripſiſti ad annum Chriſti 1020. N. 2. tuo vt vocas *Regi*, reuera Duci *Boleſlao* I. de quo inter cetera iactas ex Dlugoſſo tuo, *quod Principatus eius fulgor vltra cæteros Reges & nationes magnificatus fuerit* eo tempore &c. ſcilicet. vltra Reges & nationes Gallię, Germanię, Anglię, Hiſpanię, &c. Apage cum his anilibus.

SYLLABVS ERRORVM IN HVNGARIA COMMISSORVM.

CAPVT X.

§. 1. ANno Chriſti 983. N. 5. *Per id temporis*, inquit Bzoui', *Miecislaus Polonorū Princeps*, Crom. l. 3. *quo auguſtiorem poſteris ſuis principatū relinqueret, hortante ſenatu, Lampertū Cracouienſē Archiepiſcopum, virum doctum & eloquentem* Oratorē *miſit ad*

Bene-

Benedictum Pontificem Romanum vt regium diadema ſibi mitteret, regémque Polonorum ſe & poſteſteros ſuos eſſe iuberet. Quo etiam tempore Stephanus Geiſæ filius poſt defunctum patrem Vngariæ princeps eâdem de re miſerat. Atque is quidem impetrauit; Miecislao autem negatum eſt, quod differre eam rem pontifex diuino oraculo iuberetur: eo quod per id temporis Poloni venationibus, rapinis, & cædibus mutuis dediti, duri & immanes, contumelioſi & aſperi aduerſus tenuiores ac ſubditos, minus caſtè religionem colere dicerentur.

Hæc Bzouius tribuit Cromero, ſed duabus Cromeri ſententiis deprauatis. Primum enim Cromerus ait, *Cracouienſem Archiepiſcopum ſiue Epiſcopum*, quia etiam antè ex vetuſto quodam anonymo ſcripſerat, Cracouiæ quoque initio non Archiepiſcopum ſed Epiſcopum eſſe conſtitutum: quod Bzouius eâdem illic fide, quâ hîc diſſimulauit. Deinde Cromerus ſcribit Miecislao regis inſigne negatum, *vel quod de morte eius nunciatum eſſet, vel quod differre eam rem Pontifex diuino oraculo iuberetur, eo quod Poloni venationibus* &c. At Bzouius ex duobus vnum facit, & priore cauſa omiſſa poſteriorem memorat, non in gratiam ſuæ gentis, fateor; ſed, qua vnicè confidit, memoriæ vitio.

P. 35. Col. 1. ante m. Pag. 32. Col. 2. f.

Nunc ad reliquam Bzouij narrationem veniamus. Hoc, inquit, anno Stephanus Geiſæ filius

Vnga-

Digitized by Google

Vngariæ princeps diadema regium à Pontifice Benedicto poſtulauit, & impetrauit. Acquieſceremus ſententiæ huic, quamuis nec ex Cromero & multò minus ex *B*aronio, vt § 4. videbimus; ſed ex mero *B*zouij placito hauſtæ: verùm acquieſcere *B*zouius non permittit; interpellat enim alibi, nēpe anno 989. vbi S. Adelbertus ad Hungaros proficiſcitur, & Stephanum Geiſæ filium recens natum baptizat. *Adalbertus*, inquit Bzouius, *Epiſcopum Pragenſibus reliquit, atque permittente Pontifice ad Vngaros ſeceßit. Apud quos exiſtens, plurimos Vngarorum vel conuertit, vel conuerſos baptizauit, vel baptizatis annuam pecuniam eleemosynæ loco illis à rege promeruit.* *N. 5. f.*

Regnabat tunc apud eos fortè Stephanus Geiſæ filius: ipſi à Deo ſecundum viſionem promiſſus. Dum enim Geiſſa cogitaret, qua ratione ritus ſacrilegos aboleret, & pro conuerſione gentilium Epiſcopatus diſponeret, nocte quadam miſit ad eum Deus iuuenem quendam ſpecioſißimum qui diceret ei, Pax tibi, Chriſti electe, faceſſat cura hæc & ſolicitudo. Non fiet per te id quod meditaris. Habes enim manus ſanguine humano pollutas. Naſcetur autem tibi filius qui diuinæ prouidentiæ conſilio id efficiet, quod tu animo concepiſti. Erit is rex & ex eorum regum numero, quos dominus elegit, coronam regni temporarij æterna commutaturus. Tu verò hominem ſpiritali legatione apud

X te

te functurum, honorificè excipito, exceptum reuerenter habeto, eius cohortationibus ſincerum pij pectoris affectum adhibeto. Mulieri quoque reginæ iam partui propinquæ apparuit beatus leuita & protomartyr Stephanus, leuitici habitus inſignibus ornatus, ita eam compellans, Confide mulier in domino & certa eſto, te filium parituram, cui primo huius gentis & regnum & corona debetur. Tu verò illi nomen imponas meum. Cum autem fœmina non ſine admiratione ſciſcitaretur ab eo, quisnam eſſet, aut quomodo vocaretur, reſpondit; ego ſum Stephanus protomartyr, qui primus pro Chriſti nomine martyrium obiui. His dictis diſparuit. Vix autem tam regi quàm reginæ viſio diſparuit, cùm S. Adalbertus adfuit & tam regem, quàm reginam de promiſſione diuina roborauit, atque illam gentem ſacro vel baptiſmate abluit, vel ablutam vnguine Spiritus ſancti perunxit, & Stephanum recens natum baptizauit.

Quid tibi videtur lector? ante ſex annos Stephanus hic Geiſſæ filius regia inſignia à Pontifice ſuſcepit, & hoc anno recens natus ab Adelberto baptizatur. Baptizari rurſus & Bzouius deberet, vt Chriſtianus hiſtoricus fieret. Deinde Bzouius poſteriore hoc loco Geiſam regem eiúſque vxorem reginam vocat, & tamen priore docet, eorum filium Stephanum defuncto patre nondum fuiſſe regem, ſed principem Vngariæ ac petiiſſe à Pontifice titu-

titulum regis, quẽ profectò non petiiſſet, ſed à patre & matre accepiſſet, ſi reges fuiſſent. Ita Bzouius à Bzouio refellitur, nec tantùm à Bzouio ſed etiam ab auctore ſuo, quem etſi prodigioſæ beneficio memoriæ non nominat, nominat tamen Baronius eodem anno 989. Cartuitium Epiſcopum. Atqui Cartuitius Geiſam non Regem ſed Ducem & Principem vocat, aítque etiam Bzouio narrante S Stephanum protomartyrem vxori eius apparuiſſe ac dixiſſe, *Confide mulier in Domino, & certa eſto, te filium parituram, cui primo huius gentis & regnum & corona debetur.* Bzouius ergo giganteo more cum ſuperis pugnat, & protomartyri aduerſatur, cum Geiſam regem appellat. Denique Bzouius hoc anno Stephanum apud Vngaros regnaſſe docet, cum Geiſa regnarit, & Stephanus hoc vel ſequente demum anno in lucem editus fuerit, vt Baronius ex Cartuitio Epiſcopo in vita Stephani demonſtrat.

N. V.

Apud Surium in vita S. Stephani 20. Aug.

N V.

§. 2. Anno Chriſti 997. N. 1. narrat Bzouius iſta, *Anno Chriſti 997. S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus ad ſuos reuerſus, tentatis iterum, an reſipiſcerent, Boëmis, cùm necquicquam apud eos proficeret, in Vngariam Razimo ſiue Gaudentio, quẽ in loco fratris habebat, & aliquot aliis viris religioſis comitantibus profectus, Geiſa Principe cum vxore fauentibus, Vngaros religione Chriſtiana non ita pridem, nec vni-*

Crom. lib. 3 in Bolesl.

Digitized by Google

uerſè adhuc ſuſcepta, per interpretem accuratius imbuit: Stephanúmque Geiſæ filium vel baptizauit, vt volunt quidam, vel baptizatum iam antè confirmauit: inde in Poloniam ire perrexit. Acceptus honorificè à primoribus & cætera multitudine & ab ipſo Boleſlao duce, tandem Polonis, quàm Vngaris operam nauauit, cùm Cracouiæ, & in itinere, quo veniebat, tum Gneſnæ inprimis; & eo quidem maiore ſtudio & alacritate, quod lingua & ſanguinis cognatio Boëmis ſuis cum Polonis intercederet. Oppoliæ dum prædicaret, veſtigia pedum, vt nudus plantas inſiſtebat, duro lapidi impreſſit; quæ etiam nunc in baſilica cathedrali Wratiſlauiæ oſtenduntur. Mortuo verò illis diebus Roberto Gneſnenſi Archiepiſcopo, Adalbertus magnis precibus principis exoratus, curam eius Eccleſiæ ſuſcepit.

En tibi lector, labyrinthum Bzouianum, in quo miſer oberrat. Hoc anno demum Adelbertus in Hungariam venit, & ante octo annos Stephanum Geiſæ filium inibi baptizauit. Ante annos 14. nempe anno Chriſti 983. Stephanus regiam dignitatem à Pontifice impetrauit, & hoc anno vel baptizatur vel confirmatur. Quæ hæc retrimenta? piget pluribus perſequi. Cromerus à Bzouio citatus Bzouium non iuuat, nec enim dicit Adelbertum bis in Vngariam profectum ſed ſemel; quanquam errat cum id ab Adelberto ſecundùm Roma

in

in *B*ohemiam reuerſo factum ſcribit, cum factum fuerit ab reuerſo primùm, vt auctor Adelberto coæuus & familiaris in eius vita diſertè ſcribit, & ex eo Baronius. Deinde Cromerus in dubium vocat, *Ann. 989. V. & ſeqq.* quod nuſquam aſſeuerauerat, vtrum Stephanus ab Adelberto baptizatus fuerit; at Bzouius id ſupra affirmarat, hîc dubium facit. Tertiò Bzouius Cromerum auget illo auctario, *Oppoliæ dum prædicaret, veſtigia pedum, vt nudus plantas inſiſtebat, duro lapidi impreſſit; quæ etiam nunc in baſilica Cathedrali Wratiſlauiæ oſtenduntur.* Quartò Cromerus narrationem de Roberto Gneſnenſi Archiepiſcopo eiúſque ſucceſſore Adelberto illa clauſula finit, *vt noſtri tradunt*: qua ſatis ſignificat, eſſe incertam. Bzouius eam clauſulam vt lyræ ſuę minimè aptam reiecit: & nos iam ante ex Ditmaro Adelberti ſynchrono docuimus, Adelberti fratrem Kadimum mortuo demum Adelberto primum fuiſſe inſtitutum Geſnenſem Archiepiſcopum, quicquid Poloni ſcriptores, aliquot poſt ſeculis in ſuorum gratiam ſcripſerint. Refelluntur & ab ſcriptore vitæ Adelberti coæuo, qui cùm Gneſnenſem Adelberti commorationem deſcribat, nullam Roberti Archiepiſcopi defuncti, nullam Adelberti in eius locum ſuffecti facit mentionem, rem tantam, ſi geſta eſſet, nec ignoraturus, nec omiſſurus. *Eſt*, inquit, *in parte regni ciuitas magna Gneſna, vbi ſacra cor-*

 pori

pori placuit quieſcere, vbi mille miraculis fulget, & ſi ex corde veniunt, recta petentibus ſalutes currunt. Ibi ergò quia in via ſua erat, cuius longo tempore ſilentium exercuerat, Miſſam celebrat ſacras hoſtias oblaturus, viua mox & ipſe Chriſto futurus. Baptizat populum grandem nimis. Inde nullas moras nectit, nauim aſcendit, quam ne prophanus quis tangere præſumat, Dux ſolicitus multo milite armauerat. Non poſt multos dies carina ſecante terga maris, Deum neſcientibus illabuntur Pruſſorum terris.

Cartuitius in vita S. Stephani Reg. apud Sur. 20. Aug.

§. 3. Anno Chriſti 997. N. 4. ait Bzouius, *Per ea tempora Geiſa principe Hungariæ vita functo, Stephanus filius in Principatu ſucceſſerat, adoleſcens quidem ætate, cæterum prudentia, pietate, religioniſque amplificandæ ſtudio ſuper ſenes intelligens. Conabantur Hungarorum aliqui fidem ſuſceptam deſerere. Quamobrem bellum ciuile contra iuuenem ſuſcipientes, eius vrbes depopulabantur, miniſtros cædebant, atque ipſi inſultabant, tum extrema cogitabant. Veſprinum fortè obſidebant, cùm Stephanus virtute diuina ſubnixus, collecto quanto poterat exercitu ſub ſignis S. Martini Pontificis & S. Gregorij Martyris contra perduelles mouit, illos miraculosè profligauit, & ex manubiis perditorum, Eccleſiam & monaſterium Diuo Martino eo loco qui ſacer mons dicitur, vbi S. Martinus cùm in Pannonia dege-*

degeret, precari ſolitus fuerat, ædificauit, & reditibus aßignatis locupletauit.

Mira rurſus à te diſco *Bzoui*; Geiſa Princeps Hungariæ hoc tempore moritur, & ei ſuccedit Stephanus. itáne verò? ecquid ergo tu ſcripſiſti anno Chriſti 983. Geiſam tum obiiſſe? *Quo etiam tempore*, aiebas ibi, *Stephanus Geiſæ filius poſt defunctum patrem Hungariæ Princeps eadem de re miſerat.* Igitur Geiſa hoc anno moritur, & ante 14. iam mortuus erat, & Stephanus hoc demum anno ſuccedit, & iam ſucceſſerat ante 14. annos, imo tum coronatus erat antequam natus. Conſtanter Baronius Geiſæ anno 997. defuncto Stephanum ſucceſſiſſe ſcribit. *N. 7.*

§. 4. Anno Chriſti 1000. N. 5. §. 2. hæc prodit Bzouius, *Cartuitius in annum præſentem referebat legationem à Stephano Vngariæ Duce, per Aſtricum ſeu Anaſtaſium Colocenſem Epiſcopũ ad Syluestrum Romanum Pontificẽ miſſam eſſe: iniunctúmq; legato, vt diadema regium Stephano impetraret, Strigonienſem verò Eccleſiam in metropolitanam erigi procuraret. Narrabat, poſtulata à Sylueſtro obtinuiſſe. Inſuper & illud retuliſſe vt crux ante Regem, velut Apoſtolatus inſigne deferretur, quod is ſua opera multos infidelium ad Chriſtianam religionẽ traduxiſſet: regnúmq; ſuum Hungariæ, poſt victoriam de barbaris partam Romanæ Eccleſiæ donaſſet; miſſa Romam lancea & aliis militaribus inſigniis ex hoſtibus receptis.* *Apud Sur. 20. Aug.*

Oro

Oro te Bzoui per Genium tuum, iſtáne anno præſente geſta fuiſſe æſtimas, vti æſtimauit Baronius? Si ais, cur igitur ſupra, nempe anno 983. N.5. memoraſti Stephanum obtinuiſſe diadema regium à Benedicto Pontifice? Quod ſi Cartuitium falli putas, cur eum non refellis? Sed præſtat motos componere fluctus, & hunc decem capitibus comprehenſum decalogum finire. Multa quidem & alia errata admiſit Bzouius, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc; hæc autem ſcripta ſunt, vt prudens lector ex paucis multa colligat.

LAVS SVPERIS.

Digitized by Google

APPENDIX.

P*Ræfat. pag.* 5. *verſ.* 7. *lege cum addito*, Scotorum, Polonorum, Vngarorum rebus.

In opere ipſo pag. 7. *ante numerum illum marginalem* XIV. *addatur* XIII. §. 1. f.

Pag. 32. 16. Benedicto XII. cum omnium Imperij Principum, & multorm Comitum, Baronum ac Nobilium conſilio in hunc modum.

Pag. 80. *verſ.* 1. omiſſo per fraudẽ, à nobis pagina 55. f. detectã.

P. 100. 6. ex argento vel auro fabrefactã. Et v. 9. *inuenio. Luitprandus etiam auream fuiſſe negat: at auream prodit is, qui huius totius ceremoniæ auctor eſt VVitichindus.* Hæc tu ex Sigonio, quibus addo ego plura ex Hieronymo Balbo, tui primum Ordinis Religioſo, Gurcenſi poſtmodum Epiſcopo, *At in Germania*, inquit, *perinde vt Romæ corona aurea Imperatorem inſigniri, illa ſcilicet eãdem, qua Carolus Magnus primo vſus eſt: ipſe ego certiſſimus ſum teſtis, qui nono abhinc anno tuæ coronationi, Carole V.*[te] *non ſolum interfui, ſed cum per id tempus apud te Ludouici Pannoniæ Boëmiæq́; regis oratorem agerem, ad quem ius eligendi ſpectabat, etiam præfui.* Hucuſque Balbus qui vtrum ex aſpectu & aliorum ſermone, ceteriſque id genus indicijs, an experimentis aurifabrorum, aliiſque huiuſcemodi accuratioribus documentis iudicarit, incertum eſt. Reſtat vt Norimbergenſes Domini, penes quos ſeruari iam corona illa dicitur, tantam controuerſiam peritorum diſcuſſam operâ, publico ſcripto decidant. Sed hæc nihil ad te Bzoui, qui claro in errore deprehenſus es, quando conſtat, ferreo diademate Imperatorem non in Germania ſed in Italia Mediolani vel Modoëtiæ ornari ſolitũ: & fateris tu id ipſe, cum ex eodem Sigonio ſubijcis, *Italiam* &c. *De coronat. p.* 73. *f.*

105. v. 5. à fine, *lege* pomo *pro* ſceptro.

132. *verſu* 5. *à f. lege, Iohannem Bohemiæ regem, pro, Ludouicum.*

133. *verſ.* 2. Iohannes *pro* Ludouicus.

212. 16. *lege* medium Martium *pro* Aprilem. & v. 17. ad medium annum mediúmque menſem.

228. 11. ſuæ narrationis, quà falſa eſt, teſtem, nam Iohanni iniuriam facit, cùm omnia ſe ex eius literis hauſiſſe fingit.

Digitized by Google

V.8.à f. tuus ipſi narrationi.

277. 14. *lege* nullus *pro* neuter.

304. *penult. omitte*, ſæpe.

334. 11. *adde*, Annus porrò vndecimus Ludouici, eſt Domini 1325. nam octauum Ludouici Rebdorfius vocat 1322.

336. 4. *adde*, Nam quas reconciliationis Principum conditiones in reliquis à ſe nominatis auctoribus non inuenit, in Argentinenſi inuenerit neceſſe eſt.

346. 12. oſtendimus & amplius pag. 417. N. 89. oſtendemus.

359. 5. vxorem, videlicet Margaritam. *Et v.9. lege* aliquot *pro* multos.

360. *vlt.* ſit. Et quod amplius eſt, anno 1327. N. IV. prope principium ſcribis, *Iuerat cum Leodriſio Tridentum obuiam Ludouico Marcus, atque Galeacium multis oneratum calumniis, maieſtatis reum peregerat.* Quid quod *&c.*

379. 4. *à f. in margine pone* lib. 10. c. 33. poſt m.

418. 9. & 10. claudicet, incedat.

454. 6. *XVII.* (legendum eſt XVIII. vt Villanus, ex quo hæc Ciaconius refert, ſcribit, cum quo omnes hiſtorici conueniunt, vt Remigius Florentinus ad Villani caput illud adnotat) *auri* &c.

462. 1. *deſtruere quocunque modo, ſed poſſe liberè deſtruere.*

465. *vlt.* (*quod ad* &c. *rerum*,

466. 12. *à f. opinionis, etiamſi Cardinalis, hæreticum vocabat, & ita cum iis, qui præſentes & contrariæ erant opinionis.*

476. *penult. lege*, quæ aureæ bullæ aduerſantur, *pro*, quæ poſtmodum abrogata ſunt, neque in aurea bulla continentur.

477. 2. deſtinato; cùm Carolus tantùm ſeptem Electores Principes, & quidē Francofurtum iuſſerit conuocari. Deinde.

478. 10. *electione, abſque dilatione*, &, *Suo.*

515. *pen. in marg. pone, Cap. 108. ante med.*

552. 1. nam Ludouicus.

582. *vlt.* illo, quem hîc ſubintelligis, pontificiæ.

583. 7. *coronationem.* Hic, inquam, locus eſt, quem ab amanuenſi deprauatum ſcribis, ſed quo verbo ſodes? an *exſecrationem* ſcribi oportuiſſet pro *conſecratione?* At *exſecratio* non fuit ſupradi-

prædicta, & tamen pontifex non refert hîc niſi ſupradicta, ſcilicet *inunctionem, conſecrationem, & coronationem.*

610. 14. item ſi Cæſar tantum. *Et v. 15.* quomodo Iohanni iucunda.

629. 7. à f. probaſti. Deinde Argentinenſis inter legatos numerat Præpoſitum Auguſtenſem & R. Bambergenſem, quos tu omittis. Ex hac autem legatorum diuerſitate, legatio quoque non eadem fuiſſe videtur, quam Argentinenſis, quámque tu anno 1336. N. II. recitas.

705. 4. *à f.* capite: vel regnum Arelatenſe filio negatum ſuo dolebat à Cæſare. Quid enim.

742. 5. Non ita chronicon Bambergenſe mſ. *Poſtero anno 1338. Ludouicus Imperator conuentum Imperij Principum Francofordiæ celebrauit, in quo de Imperatoris poteſtate & pontificia auctoritate variè fuit diſceptatum. Hinc Leopoldus Babebergenſis decretorum Doctor Eccleſiæ Babebergenſis Canonicus occaſionem nactus in eam rem inſigne opuſculum de iure Regni & Imperij Romani edidit, & Balduino Archiepiſcopo Treuirenſi inſcripſit.* Hæc chronicon, ex quibus conſtare nequit, vtrum Leopoldus auctor ſanctionis illius fuerit, an auctorem in libro imitatus.

761. 9. à f. Italo; fuit denique, vt apparet, etiam ipſius Benedicti Papæ, vt paulò antè ex eiuſdem aſſertione oſtendimus, *pro*, & paulò antè &c.

785. 6. à f. *lege* Bartholi *pro* Baldi. 789. 15. *in margine pone* 531. ante med.

819. *in margine omittantur hæc* (777. ante med. &)

823. 1. Dominicanos defeciſſe.

825. 11. *à f.* Frankfurtenſes; nec eam narrationem ex cerebro ſuo, ſed ex Vito Arenbekio presbytero p. 212. §. 2. petiuit. Antilogiæ denique &c.

870. *antepen.* Innocentius ſcribit, legatos Ludouici Marchionis confeſſos fuiſſe, quod Ludouicus primogenitus &c.

871. 12. à f. Innocentius ex oratione legatorum qui ipſo &c. Et v. 11. *à f.* ſignificant. Et v. 8. *à f. adde*, Nec eſt quod ſuſpicemur legatos fefelliſſe, cùm Marchio & vxor reliqua ſua delicta ibidem copioſè fateantur, non taciturì etiam hoc, ſi eius ſibi fuiſſent conſcij.

 882.

882.6.&7.*omnia ſunt verba Æmilij minoribus literis ſcribenda.*

889.1.reuocaſſet. Quid quod iidem Gallici Legati Ludouicum eius perfidiæ accuſare non potuere, quin ſuum ſimul regem vt eiuſdem perfidiæ auctorem accuſarent? Francus enim, vt ſupra pagina 882.n.7.ex Æmilio docuimus, Ludouici amicitiam poſtularat, miſerátque, vt pagina 881.m.ex Argentinate audiuimus, nuncium & literas Imperatrici, vt inter ipſum & Ludouicum concordiam conciliaret. Sed Bzouio &c.

980.15. *Hugelſingen, quæ omnia huic monaſterio dedit.*

988.7, *à f. poſt citatum Maſſonum adde*, Gabriel Prateolus 6. hæres. V. Flagellantes.

Digitized by Google

AD MANTISAM.

PAg. 16. 5. exuant? Denique Baronius in appendice, quam Bzouius pro egregia induſtria ſua nunquam aſpexit, tomo 12. adnexa, anno 750. ea quæ hic ex illo Bzouius refert, reuocauit, atque ex antiquioribus monumentis demonſtrauit, neque illud epitaphium antiquitus ſcriprum eſſe, nec Richardum fuiſſe regem Angliæ, ſed nobilem & prædiuitem.

18. 4. à f. reuocat. Quod minus mirum foret, niſi Baronius, ex quo ſua potiſſimum ſumpſiſſe videri Bzouius vult, Petrum illum anno 1072. & nequaquam anno demum 1080. obiiſſe demonſtraſſet.

25. 8. *adde*, Nec eſt quod culpam conijcias in Baronium, ex quo errandi arripuiſti occaſionem. Is enim etſi anno 697. IIX. meminit Bonifacij, monet tamen, ſe memorare ſimul plures, qui ante & poſt eum annum in Germaniam miſſi ſint.

44. 6. *dele*, non Baronius ſolum, ſed &c.

46. 8. à f. peremptum: quod & Baronius ex Glabro retulit, Bzouius omiſit, fidémque violauit, dum alium violatæ accuſauit.

50. 7. teſtes. Quin & Baronius N. XXVII. & XXXVI. id concilium poſt Ottonis coronationem inſtitutum tradit; quem tu ducem tibi ſequendum propoſueras.

V. *penult.* fundit. Ditmarus l. 4. Glaber &c.

51. 1. ſed omnes nimis ſicci & rerum neſcij ſunt, nec norunt, quæ Bzouius nouit. Primus Ditmarus pag. 44. 27. tantum dicit, *conſcientiæ ſecreto plurima ingemiſcens facinora* Otto, *noctis ſilentio, vigilijs, orationibusq; intentis, lachrymarum quoq; riuis abluere non deſtitit; ſæpenumero omnem hebdomadam excepta V. feria ieiunus perducens*. In eleemoſynis valde largus extitit.* Hæc Ditmarus, quæ Bzouius honoris ergo omiſit. Glaber hæc &c. ** f. perdurans.*

V. 14. hi tres auctores.

53. 6. à f. Chronicon Sponheimenſe, nihil omnino Hirſaugienſe habet.

55. 3. à f. Hirſaugienſi vel Sponheimenſi legi.

63. 8. à f. *lege* leuirum *pro* affinem.

88. 2. poteſt. Taceo quod Bzouius eundem S. Lupum ante 60. annos, *N. I.* adeóque anno 429. & quidem iam epiſcopum ac proinde annorum minimum 30. in Britanniam miſſum ſcripſit, vt paulo antè docuimus. Iraque *P. 83. f.* ſi Lupus anno 489. in Britanniam miſſus eſt, non minor nonagenario miſſus eſt, quod nemo niſi Bzouius credet.

92. 3. *damnaturi.* Et anno 1172. de eodem Reginaldo ait, *Ex percuſſoribus S. Thomæ vnus fuit gente Vrſinus, cum per id temporis ea familia, Regiam cognatione attingeret.* *N. V. autem.*

V. 7. N. 46. nec ab vllo, quod ſciam, alio traditum: *& dele periodum illam.* Sed iam &c,

97. 1. oneras non hoc ſolum loco, ſed etiam in indice. V. *Angli*, vbi alluſiſti, *Barbari ipſorum mores.*

V. 3. laborare dicebatur.

V. 4. condemnas? Gregorius VII. Scotos eo ſcelere implicitos fuiſſe audiuit, non aſſeuerauit; cur tu aſſeueras, oblitus eorum quæ pro Bernhardo

T. 13 an. tuo alibi dixiſti? Recenſet.

1313. 99. 4. *epiſtolis.* Vaniſſimum item fuiſſe rumorem de eodem Wilhelmo

L. 1. c. 26. per venenum ſublato, Neubrigenſis oſtendit. Quis iam.

116. 16. *meus.* Et in indice de eadem re ait, *Hiberni poſt multorum annorum impietatem per Malachiam Conneretenſem epiſcopum ad Chriſtianam religionem conuerſi.*

122. 6. *lege*, Dlugoſſi narrationem eſſe incertam, *pro*, Dlugoſſum non eſſe ſynchronum rei narratæ.

123. *vlt.* N. 3. ſcribit Bzouius.

125. 13. contendat. Mariano antiquior Hermannus Contractus (nec e-

T. 1. an- nim vltra annum 1054. ſcripſit) clarius idem eodem anno 1004. docet his

tiq. lect. verbis, *Henricus rex in Sclauos arma conuertit, Boëmanisque ad priſtinam ſeruitutem tributúmque redactis, Boliʒlaum etiam Ducem Sclauorum, Bolanorum cum tota gente ſua ſubiugauit, & in Saxoniam victor rediit.*

127. 8. à f. *lege* Ottonis *pro* Henrici.

a 11. A- 129. 3. à f. ſcriptáque ſit. In martyrologio [a] & Breuiario [b] Rom. Boleſ-

prilis. laus dicitur rex, quia anno 1077. regium nomen, vt Schaffnaburgenſis ſcri-

b 7. Maii. bit, ſibi vſurparat, & à ſuis rex dicebatur ſcribebatúrque.

136. 1. Friſingenſis & Contractus, quos vidit.

138. 7. à f. ſolum & Hermannus Contractus (eorum verba &c.

L. 7. c. 17. 140. 7. à f. Adde quod Friſingenſis ſcribit, *Lotharius imperator coronatus*

19. 20. *anno 1131. & ab Vrbe rediens, Germaniam ingreditur &c. Polonorum ducem cum multis muneribus obuium habuit: quem tamen non ante dignatus eſt ſuo conſpectui præſentari, quam tributum XII. annorum, hoc eſt, 500. libras ad ſingulos annos perſolueret, & de Pomeranis & Rugis homagium ſibi faceret, ſubiectionemque perpetuam ſacramento confirmaret.* Radeuicus.

160. 10. hoc, quæque vt ſcriberentur ſingula, maius opus mouendum, maior ordo rerum ordiendus eſſet: hæc autem.

Digitized by Google

ERRATA.

In præfat. ad Sereniſſ. pag. 8. v. 15. auferre. *pag.* 9. v. 2. *lege* quod *pro* &. *pag.* 18. v 5. *à fine* doctioribus. *pag* 20. v. *Vlt* & 21. v. 1. ſi quod. *In opere ipſo, pag.* 14. v. 10. à f. *lege, nominauimus.* v. 3. à f. *coëlectorum* p. 35. v. *Vlt. parentheſis non eſt Villani.* 41. 9. Fridericum à tribus. 45. 15. *dextrarij*, 49. 8. à f. inquit Moguntinus. 86. 12. lege, *non Ioannem ſed Rudolphum.* 95. 12. omitte, *Vt fertur.* 99. 11. *lege* à quo. *pro* loco quo. 181. *penult. notorios.* 275. *penult. equis.* 281. 11. à f. diſpiceret. 5 à f. *diſſidium* &c. *Cùm enim ei.* 302. 12. *ſcripſit.* 304. 7. *ſine ſine* 333. 9. à f. *qua.* 347. 6. diem Æmilius. 350. 11. *Flaminia.* 381. 8. à f. Leander. 400. 15. *nomine.* 427. 11. *occultaſſe.* 430. 10. aliis. 435. *antepen.* ſed toleraret. 438. 11. *à f.* nec inſontem ſed ſontem. 457. *in marg.* Pogieto, Podieto. 459 7. tantùm. 463. *penult. permiſit.* 466. 4. *factis.* 13. à f. *quis.* 487. 13 à f. coniugémque 496. 11. à f. referret. 501. *penult.* ſubrepſiſſet. 518. 5. *Eanarum filiis. Et in marg.* Cap. 108. 519. 5 *per ciuitatem.* 525. 10. *dele* paulò, & *in margine adde,* Pag. 416. v. 3. 531. *antepenult, exuretur.* 544. 7. *pone* 52. pro 21. 549 1. *Parmenſium pro Pariſienſium.* 562. 13. *non incerto.* 623. 9. à f. lætior. 634. *antepen.* tua falce *pro* tam falsè. 688. *penult.* eorum, ex duobus, inquam, Galliæ & Apuliæ Regibus. 702. 5. *lege* 1337. 705. 5. à f. futurum. 713. 1. *Imperator.* 737. 12. *ſecunda.* v. 18. *ex cap. Queſitum.* 138. 4. *Electio, ait.* v. 9. & 16. Vulcurunnus. 739. 1. *Nouit.* v. 8. *ſupremam* v. 9. *à f.* auctoritate. 751. 9. iidem. 775. 7. à f. *quatenus.* 776. 11. *peruenerint.* 797. 11. *à f. ſanciuit.* 798. 6. *poſſit.* 820. 12. *à f. inflammarenturne.* 841. 6. à f. horum. 842. 2. feriis. 855. 13 fortaſſe. 894. *Vlt.* Eſij. 895. *in marg.* Milonis. 896 2. expetis *pro* expectas. 902. 9 etiamnum affirmabat? Et v. 4. à f. *bonus.* 930. *marginale verſus vltimi ponatur ad v. penult.* 940. *Vlt. præſtita & confirmata per Ottones, Carolos, Pipinum,* 985. 16. *quia.*

IN MANTISA.

Præfat. pag. 3. v. 7. *à f.* non nego. v. *antepen.* iudiciúmque. *In opere ipſo. pag.* 11. 3. Anno 420. *Pag.* 48. 9. ſi qua. v. 13. deieciſſe. 58. 9. *dele, cœnam.* 81. *antepen. incedentes.* 96. 7. *à f. lege* 1073. *Pag.* 107. 14. Nordhumbris. 113. *penult.* Baronius. 123. 8. Gneſnenſi. 157. *Vlt. ſacro.* 158. 5. *à f. Georgij.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google